MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80774-14

AUTHOR:
WALTHER, WILHELM

TITLE:
DE CONTAMINATIONIS APUD PLAUTUM ET TERENTIUM . . .

PLACE:
IENAE

DATE:
1910

Master Negative #

92-80774-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Walther, Wilhelm 1887-
De contaminationis apvd Plavtvm et Terentivm diversa ratione... Jena, Nevenhahn, 1910.
70 p. 22½ cm.


Thesis, Jena, 1909.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-3-93 INITIALS MCG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT












Centimeter
mm
Inches







1102

DE CONTAMINATIONIS APVD PLAVTVM ET TERENTIVM DIVERSA RATIONE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVILELMVS WALTHER

STRINENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 20. Dezember 1909.

Geheimer Hofrat Prof. Dr. Michels,
d. Zt. Dekan.

Praefatio.

Plautum atque Terentium fabularum suarum exemplaria Graeca non verbum de verbo in Latinum convertisse, sed multa mutasse, saepius etiam fabulas Graecas contaminasse [1]), i. e. alteri fabulae partes alterius exemplaris inseruisse, omnibus satis notum est. Cuius igitur horum poetarum ut artem fabulas componendi penitus perspiciat atque cognoscat interest, non ad eas inprimis fabulas oculos convertet, quas integras Latine reddiderunt, sed fabulas contaminatas tamquam in sua membra discernere et inquirere conabitur, quid poetae ex aliis exemplaribus petiverint, quid de suo addiderint.

Plautum alio modo atque Terentium fabulas suas contaminasse iam Leo [2]) perspexit potius quam ostendit, si quidem de Plautina ratione contaminandi haec verba facit: „Dies sind die kunstlosen Anfänge des Verfahrens, das wir bei Terenz in hohem Maſse verfeinert wiederfinden.“ Quo autem modo ratio contaminandi Plautina et Terentiana inter se differat, neque Leo neque quisquam alius virorum doctorum, quamquam haec quaestio ad indolem poetarum ponderandam summi momenti videtur esse, diserte explanavit: quin etiam nonnulli viri docti velut M. Franckenus [3]) et Th. Hasper [4]) contaminationem Plautinam et Terentianam promiscuam habuerunt.

1) De verbo contaminandi conf. W. H. Grauert: Historische und philologische Analecten, Münster 1833, p. 118 sq.; K. Dziatzko: Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer. Erstes Bändchen: „Phormio“, Leipzig 1898, p. 19; Aug. Roehricht: Quaestiones scaenicae, Argentorati 1885, p. 16 (308); F. Nencini: De Terentio eiusque fontibus, Liburni 1891, p. 1—8.

2) F. Leo: Plautinische Forschungen zur Kritik und Geschichte der Komödie, Berl. 1895, p. 167.

3) C. M. Francken: De Poenuli Plautinae compositione. Mnemosyne IV (1876) p. 146 sqq.

4) Th. Hasper: De compositione Militis gloriosi. Progr. Dresden 1897.

Itaque spero me rem actam non esse persecuturum, si quaeram, quae ratio intercesserit inter contaminationem Plautinam et Terentianam. Quam disputationem ita instituam, ut primum de Milite glorioso, Poenulo, Pseudolo agam, quas fabulas Plautinas contaminatas esse pro certo habeo, deinde oculos ad fabulas Terentianas Andriam, Adelphos, Eunuchum convertam, quas contaminatas esse Terentius ipse in prologis dicit, tum denique exponam, quam diversam rationem Plautus et Terentius in fabulis contaminatis componendis secuti sint.

A. De ratione contaminandi Plautina.

I. De Milite glorioso.

§ 1. De actu primo. Militem gloriosum in numero fabularum contaminatarum habendam esse G. A. Becker[1]) primus contendit ratus primam scaenam huius fabulae ad idem exemplar Graecum atque scaenam III 1 Eunuchi Terentianae, id est ad Menandri Colacem, esse referendam his de causis: primum enim magnam inesse similitudinem in militum et parasitorum personis utriusque fabulae tractandis; deinde hanc scaenam prologo praemissam laxo vinculo cum reliqua fabula coniunctam esse; tum parasitum non prodire nisi in unam hanc scaenam. Quae argumenta nullius momenti esse mihi videntur. Atque primum quidem haec scaena ab Eunuchi III 1 abhorret, quod hoc loco miles rebus bello gestis et eximia pulchritudine gloriatur, illo autem loco familiaritate cum rege ipso coniuncta et ingenii acumine. Neque offensionem in eo positam esse, quod haec scaena prologo praemissa est, elucet e Donati verbis, quae docent saepius in fabulis prologum primum locum non obtinuisse (praef. Phormionis I 11): „nam officium prologi ante actionem quidem rei semper est, verumtamen et post principium fabulae inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioso et apud ceteros magnae auctoritatis ueteres poetas.“ Ac ne eam quidem senten-

1) G. A. Becker: De comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestiones, Lips. 1837, p. 82 sqq.

tiam Beckeri, qua exponit hanc scaenam cum reliqua fabula laxo vinculo esse coniunctam, probandam esse iam Fridericus Schmidt[1]), Leo (l. c. p. 161/162), Hasper (l. c. p. 6) recte demonstraverunt. Qua scaena ineunte militem et parasitum in forum se conferre versus 72—78 docent. Quibus cum versibus congruunt versus 858, quo Palaestrio Lurcioni minatur: *iam hercle ego erum adducam a foro* et versus 930/931, quibus Palaestrio dicit: *ego ad forum illum Conueniam atque illi hunc anulum dabo.* Praeterea cum milite in forum proficiscente optime miles a foro initio actus IV rediens congruit.

Etiam Lorenzius[2]) hanc scaenam ex alio exemplari Graeco atque ceteros actus fluxisse contendit existimans illam a Plauto ipso cum ceteris actibus ita copulatam esse. Quae Lorenzii sententia verisimilitudine omnino caret, quod etiam alia ratio actum primum cum actibus III—V coniungendi accedit, quae nequaquam a poeta Latino ipso effecta esse potest, sed in argumento fabulae posita est. In prima enim scaena miles eximia pulchritudine sua gloriatur (v. 68): *Nimiast miseria nimis pulcrum esse hominem,* et Artotrogus, qui assentatoris partes agit, militem cum Achille pulcherrimo comparans (v. 61/62) dicit omnes mulieres eis invidere, quae cum milite cubare possint (v. 65). Totum autem consilium militem decipiendi, quod Palaestrio, Acroteleutium, Milphidippa per actus III—V sequuntur, in eo positum est, quod miles falsam opinionem de pulchritudine sua habet (cf. verba, quae Palaestrio versibus 775—778 facit). Quod parasitus tantummodo in hac scaena versatur, ei rei multum esse tribuendum mihi non videtur; nam quicumque nonnullas Plautinas aut Terentianas fabulas perlegerit, **πρόσωπα προτατικά** saepius inveniri non ignorabit[3]), ut illud argumentum a Beckero

1) F. Schmidt: Untersuchungen über den Miles gloriosus des Plautus. Fleckeis. Jahrb. 9. Supplementband 1877/78, p. 392.

2) Aug. O. Fr. Lorenz: Ausgew. Komödien des T. M. Plautus. 3. Bändchen: Miles gloriosus. 2. Aufl. Berl. 1886, p. 33: „Mit allem Lobe ist hervorzuheben, dass Plautus auch für Anknüpfungspunkte an den Gang des eigentlichen Stückes gesorgt hat: der Abmarsch nach dem Forum 72—78 entspricht genau der Rückkehr von demselben III 1 init.“ eqs.

3) Cf. J. Brix: Ausgew. Komödien des T. M. Plautus. 4. Bändchen: Miles gloriosus. Leipzig 1883, p. 12 Anmerkg.: „Nur der Umstand wird

allatum silentio praeteream. Quae cum ita sint, scaena prima non modo cum actibus III—V coniuncta est, sed etiam illos actus optime praeparat. Itaque actum primum eiusdem exemplaris Graeci atque actus III, IV, V esse Schmidtium, Leonem, Hasperum secutus contendo.

Quibus absolutis restat, ut Schmidtii (l. c. p. 393) sententiae mentionem faciam, qui versus 1—50 huius scaenae a Plauto de suo esse additos ex eo concludit, quod miles virtutem suam tantummodo his versibus praedicet et quod in illis versibus nonnulla insint, quae hominibus Atticis minime placere potuerint. Cui sententiae iam Hasper (l. c. p. 6) repugnavit dicens: „nimia . . . virtutum praedicatio militi non minus apta est quam pulcritudinis et si in reliqua fabula numquam reditur ad illam rerum gestarum famam, hac in re non vitium, sed virtutem poetae agnosco.“ Schmidtii opinionem probabilem non esse iam titulus ipse huius fabulae „Miles gloriosus“ indicare mihi videtur; nam quid militis gloriosi magis proprium est quam rebus bello gestis gloriari? Actus I, III, IV, V igitur unum continent argumentum et simplex, quo id spectatur, ut miles dolo a Palaestrione excogitato decipiatur. Illorum actuum exemplar Graecum Alazon videtur fuisse secundum prologi versum 86: *Alazon Graece huic nomen est comoediae.* Quaeramus nunc, actus secundus quoque num ex Alazone desumptus sit.

§ 2. De actu secundo. Actum secundum ex alio exemplari Graeco atque ceteros actus fluxisse primus Lorenzius (l. c. p. 31 sqq.) demonstrare studuit, quem Schmidtius (l. c. p. 393 sqq.), Langenus [1]), Leo (l. c. p. 162/163) secuti sunt. A sententia horum virorum doctorum Hasper (l. c. p. 11 sqq.) dissentit, qui fabulam Plautinam proxime ad Alazonem, Graeci poetae fabulam, accessisse putet. Miles gloriosus enim in duas

sich weder für noch gegen Contamination verwerten lassen, dass der Parasit Artotrogus nur als *πρόσωπον προτατικόν* erscheint. Dieselbe Stellung hat Grumio in der Mostellaria, Thesprio im Epidicus, und auch Terenz eröffnet drei Stücke (Andria, Phormio, Hecyra) mit einer persona protatica: nirgends aber ist die Ausschliessung einer solchen Person von der weiteren Entwickelung der Handlung so geschickt motiviert, wie beim Artotrogus 948.“

1) P. Langen: Plautin. Stud., Berl. 1886, p. 313 sqq.

partes dividi potest, quarum altera id spectat, ut miles ludificetur (act. I, III—V), altera, ut servus eius decipiatur (act. II), neque alter altera praeparatur aut continuatur. In actu secundo servus pariete perfosso eluditur, in ceteris actibus miles per virginem fingentem sese vicini uxorem militis amoris cupidam esse decipitur. Actus secundus e tota fabula facile eximi potest, quod paries perfossus in actibus III—V omnino neglegitur. Sed illi actus cum actu II non modo non coniuncti sunt, sed etiam cum pariete perfosso videntur repugnare. In II 2 enim Palaestrio a Periplectomeno certior factus servum quendam per impluvium militis Philocomasium atque hospitem in senis domo osculantes vidisse deliberat (v. 196—230), quid sibi faciendum sit, ne a milite propter parietem a se perfossum poena afficiatur. Deinde Periplectomenum „in regionem astutiarum suarum inducit“ haec verba faciens (v. 235—237): (Pa) *Erus meus elephanti corio circumtentust non suo, Neque habet plus sapientiai quam lapis.* (Pe) *Ego istuc scio.* (Pa) *Nunc sic rationem incipisso, hanc instituam astutiam.* Qui versus satis perlucide demonstrare mihi videntur Palaestrionem militis stultitia confisum hunc dolum ad militem ipsum decipiendum excogitasse. Sed in fabula Latina hoc dolo nemo nisi servus militis illuditur. Ad Pyrgopolinicem ipsum ludificandum Palaestrio novum consilium ab hoc alienum in actu III capit.

Militem in eo exemplari Graeco, cuius actus II est, eodem modo, quo servus, illusum esse, non modo e versibus supra commemoratis, sed etiam e versibus 246—258 elucet. Periplectomenus enim iubetur Philocomasium de consilio a servo excogitato certiorem facere, „ne titubet, si exquiret ex ea miles“. Deinde explicatur, quot perfugia virgo sibi ad excusationem sumere possit, „si ambas videre in uno miles concilio volet“. Sed in Plauti fabula miles neque „ex ea exquirit“ neque „ambas sorores videre“ cupit. Quo modo concinnitas fabulae deleta est, quod spectatores, qui militem quoque pariete perfosso illusum iri sperant, valde decipiuntur; nam miles per actus III—V, ut iam supra exposui, a virgine fingente sese Periplectomeni uxorem esse ludificatur. Quin Alazon illa duo argumenta plane inter se diversa non continuerit, vix dubium esse

potest. Itaque rectissime Schmidtius, Lorenzius, Langenus, Leo actum secundum Militis gloriosi e fabula anonyma (B), ceteros actus ex Alazone (A) fluxisse contenderunt. Et in B et in A adulescens ab hospite quodam adiutus dolo a servo callidissimo excogitato amicam rivali eripuit. In utraque fabula igitur eaedem personae in scaenam prodierunt; sed ratio, qua mulier abducta est, in altera fabula diversa fuit. Plautus initium fabulae B exemplari A inserens ad Alazonem argumentum a fabula A alienissimum addidit et hoc modo contaminans Militem gloriosum maiore vita exornavit. Prologus sine dubio eiusdem exemplaris est atque actus secundus, quem praeparat, exceptis versibus 79—99, quos Plautus de suo videtur addidisse.

Cui sententiae ab omnibus fere viris doctis probatae nuper Th. Kakridis[1]) repugnat Militem gloriosum omnino contaminatam non esse existimans. Actum secundum enim artissime cum actu quarto coniunctum ex eodem exemplari atque actum quartum i. e. ex Alazone fluxisse, primum quod versibus 1088—1089, 1154—1155 Philocomasium Periplectomeni domi esse diceretur. Re vera versibus 1089—1093 scaenae IV 2 exeuntis Palaestrio Milphidippam Philocomasio imperare iubet, ut per parietem perfossum militis domum transeat. Sed mulierem per parietem perfossum in Periplectomeni domum hoc actu transire omnino opus non est. Praeterea amicam in senis domo versari nunc demum comperimus. Itaque recte iam Leo (l. c. p. 163) illos versus supervacaneos a Plauto quasi ad compages contaminatione ortas obtegendas de suo additos esse suspicatus est. Valde autem Kakridis errat existimans secundum versus 1154/1155 Philocomasium in Periplectomeni domo versari:

Domi esse ad eam rem uideo siluai satis:
Mulieres tres: quartus tute's, quintus ego, sextus senex,

quod, dum Pleusicles haec verba facit,

Ipse miles concubinam intro abiit oratum suam
Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas (1145/1146).

1) Th. Kakridis: Die Contamination in Plautus' Miles gloriosus, Mus. Rhen. 59 (1904) p. 626—628.

Aliud argumentum a Th. Kakride adductum, quod soror gemina saepius in actu quarto commemoretur (v. 974 sqq., 1102, 1146, 1313, 1315), nullius momenti esse iam Hueffner[1]) intellexit: „Ebenso leicht findet sich Kakridis mit der Tatsache ab, dass die fingierte Schwester bei der ganzen zweiten List keine, aber auch nicht die geringste Rolle spielt; ihm genügt es, dass sie ein paarmal neben der Mutter genannt wird.“ A sententia autem Kakridis, qua docet Philocomasio dialogum Pyrgopolinicis cum Palaestrione habitum auribus accipiendum esse, ut partes suas bene agere possit, ea de causa abhorreo, quod omnia a servo ita praeparata sunt, ut mulieri tantummodo militis mandato abeunti oboediendum sit.

Plautus igitur ad fabulas coniungendas versus 1089—1093 de suo videtur addidisse. Praeterea in Milite glorioso non modo matrem, ut in Alazone, sed etiam sororem geminam ad Philocomasium domum reducendam advenire iussit.

§ 3. De actus tertii scaena prima. Quamquam actum tertium universe ex Alazone fluxisse supra exposui, tamen dubitari potest, omnesne versus huius actus Alazoni attribuendi sint. Postquam Sceledrus, qui a Periplectomeno in actus secundi scaena sexta vituperatur atque castigatur, quod hospitam eius ludificaverit, timens, ne a milite summa poena afficiatur, aufugit, Periplectomenus domum redit haec verba faciens (v. 592 sqq.):

Redeo in senatum rusum. nam Palaestrio
Domi nunc apud mest, Sceledrus nunc autemst foris:
Frequens senatus poterit nunc haberier.

Qua de re ille senatus habeatur, vix cuiquam dubium esse possit. Postquam Sceledrus aufugit, restat, ut miles quoque decipiatur. Quomodo Philocomasium ei eripienda sit, Periplectomenus, Pleusicles, Palaestrio intus considerabunt.

Actu tertio ineunte Palaestrio solus domo Periplectomeni exit, haec verba revocans (v. 596—599):

1) Cf. F. Hueffner: Wochenschrift für klass. Philologie 1905, p. 711.

Cohibete intra limen etiam uos parumper, Pleusicles.
Sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiae sient,
Concilium quod habere uolumus. nam opus est nunc tuto loco,
Unde inimicus nequis nostri spolia capiat consili.

Quae verba cum fine actus secundi omnino non congruere luce clarius est. Illo loco senex domum redit, ut senatus habeatur. Hic autem apertis verbis atque dilucidis nunc demum consilium habendum esse pronuntiatur. Sed quis est, quin miretur, si versus sequentes perlegerit? Palaestrio enim, postquam neque a laeva neque a dextera „consilio venatorem adesse“ intellexit, Periplectomenum et Pleusiclem evocatos interrogat (v. 612/613):

Sed uolo scire: eodem consilio quod intus meditati sumus
Gerimus rem?

Quibus verbis senex respondet (v. 613):

Magis non potest esse ad rem utibile.

Pleusicles quoque servi sententiae assentitur (v. 614):

Quodne uobis placeat, displiceat mihi?

Pro consilio igitur tanta verborum magnificentia pronuntiato Periplectomenus et Pleusicles tantummodo dicunt sese consilium Palaestrionis probare. Ubi si alia nisi illa pauca verba facere nolebant, non „loco tuto opus erat, unde inimicus nequis spolia capiat consili“; nam si inimicus eorum verba audivisset, ex hoc colloquio omnino nihil concludere potuit. Quibus e verbis elucet versus 596—611 neque cum versibus antecedentibus neque cum sequentibus congruere.

Intendamus nunc oculos ad verba quae sequuntur. Versibus 616—672 Pleusicles „cor corpusque“ suum cruciari dicit, quod a Periplectomeno facinora puerilia expetat,

Quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet. (v. 622).

Senex autem sese nondum „exaruisse ex amoenis rebus et voluptariis“ et libenter hospitem consilio atque opera adiuvare respondet et benignitatem suam comitatemque praedicat. Rectissime iam Fridericus Schmidt (l. c. p. 342) contendit illas virtutes, quibus Periplectomenus glorietur, ad hanc fabulam omnino non quadrare, quod neque convivium habetur, ut senex

„conuiuam hilarissimum“ (v. 666) se praebere possit, neque alia occasio datur, qua partes „primarii parasiti atque obsonatoris optimi“ agat.

Versu 672 Pleusicles aegre fert, quod hospes adulescentis causa tantos sumptus facere cogatur, et Periplectomenus respondet (v. 673/674):

Nam in mala uxore atque inimico siquid sumas, sumptus est:
In bono hospite atque amico quaestus est, quod sumitur.

Deinde senex explicat, quibus causis adductus uxorem in matrimonium non duxerit (v. 680—722). Periplectomenus hoc loco personam Micionis Terentiani, qui, „quod fortunatum isti putant, uxorem, numquam habuit“ (Adelph. v. 43/44) in memoriam mihi redigit. Verba Micionis ea de causa risum movent, quod senex in fabulae exitu, ut uxorem in matrimonium ducat, commovetur. Quare autem senex Plautinus illa verba faciat, intellegi non potest.

Maxime autem mireris, quod Periplectomenus versu 738 sese obsonatum discessurum esse dicit. Quae verba neque cum initio huius scaenae neque cum fine congruunt. Cum enim Pleusicles et Periplectomenus e domo exierint, ut cum Palaestrione concilium haberent, fieri non potest, quin senex iam nunc concilio nondum habito abeat. E fine autem huius scaenae elucet Periplectomenum non obsonatum abire, sed ut servo auctore illas duas mulieres lepidissimas adducat.

Postquam Pleusicles senem, ne magnos sumptus faceret, adhortatus est, Periplectomenus mores eorum castigat, qui cena apposita (v. 755) dicere solent:

Insaniuisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem,

sed numquam (v. 759):

Iube illud demi: tolle hanc patinam: remoue pernam.

Qui versus eadem de causa qua versus 666 sqq. (cf. p. 10 sq.) ad hanc fabulam non quadrant.

Quae omnes expositiones atque explicationes subito inciduntur verbis Palaestrionis (v. 765):

Igitur id quod agitur hic primum praeuorti decet
Nunc hoc animum aduortite ambo.

Illi tres viri, postquam oratione ultro citroque habita a proposito aberraverunt, nunc demum ad rem redeuntes constituunt, quomodo militi Philocomasium eripienda sit. Quem ad finem Palaestrio initio huius scaenae huc atque illuc spectavit, „ne uspiam insidiae sient", quoniam permulti interim accedere et consilium captare potuerunt?

Postquam Periplectomenus a Palaestrione iussus Acroteleutium et Milphidippam, quae in scaenam tertiam huius actus prodeunt, adducturus discessit, servus Pleusiclem hortatur, ne amicam, ubi miles advenerit, Philocomasium, sed Diceam nominet (v. 805—812). Neque quid haec verba sibi velint, intellegi potest, cum adulescenti per totam fabulam occasio consilium Palaestrionis sequendi non detur.

Quibus absolutis comprehendamus paucis, quid ex illis verbis didicerimus. Quamquam Periplectomenus actu secundo exeunte, ut cum Palaestrione et Pleusicle frequens senatus haberetur, rediit, illi tres viri initio actus tertii, ut consilium habeant, exeunt. Versibus 612—614 autem constituunt, eodem consilio, quod intus meditati sunt, rem gerere. Sequuntur tum versus, quibus Periplectomenus suam virtutem praedicat et mores aliorum hominum castigat. Inde a versu 765 autem subito consilium habetur et Palaestrio seni adulescentique, quae eis facienda sint, imperat.

Quin haec scaena in exemplari Graeco tali modo composita non fuerit, his expositis nemo dubitet. Ut iam supra vidimus, haec scaena illo dialogo longo inter Periplectomenum et Pleusiclem habito supra modum producitur. Qui dialogus (615—764), quo Pleusicles aegre fert, quod Periplectomenus facinora puerilia et tantos sumptus facere coactus sit, haberi non potest, nisi seni facinora puerilia consilio iam pridem habito imperata sunt. Quae cum ita sint, illi versus neque cum initio huius scaenae, quo consilium habendum esse pronuntiatur, neque cum fine, quo demum consilium habetur, congruunt, quadrant autem ad versus 612—615, quibus illi viri consilium, quod intus meditati sunt, sequi constituunt. Atque re vera, si versus 612—765 expungimus, omnia optime se habent. Postquam Palaestrio hac scaena ineunte (596—611) exploravit, num consilio habendo venator adsit, versu 765 sqq. Periplectomenus, Palaestrio, Pleusicles deliberant, quomodo miles decipiendus sit. Illam partem huius scaenae (596—611, 765—804) ex Alazone fluxisse facillime intelleges. Palaestrio enim a Periplectomeno anulum petit (v. 771), ut fingens illum sibi a senis uxore traditum esse militem decipere possit, et senem „mulierem forma lepida" adducere iubet, quae „ex matronarum modo" ornata sese Periplectomeni uxorem esse (v. 790—793) et amore militis deperire simulet. In scaena III 3 Periplectomenus Milphidippam et Acroteleutium, ancillam eius, adducit. Miles autem, postquam servus ei actu quarto ineunte anulum tradidit, a Milphidippa (IV 2) et Acroteleutio (IV 6) deceptus Philocomasium Athenas remittere constituit (IV 3). Virgo una cum Pleusicle et Palaestrione in navem (IV 8), miles autem Periplectomeni domum se conferunt (IV 9). In actu quinto miles domo Periplectomeni eripitur atque valde verberatur.

Quae cum ita sint, versus 596—611, 765—804 tamquam fundamentum reliquae fabulae esse et ex eodem exemplari Graeco atque actus sequentes i. e. ex Alazone videntur fluxisse. Itaque Langeni (l. c. p. 315 sq.) sententia, qua exponit totam scaenam interpolatori cuidam attribuendam esse, iam a principio displicet.

Schmidtius (l. c. p. 351 sq.) tantummodo versus 612—765 a retractatore quodam insertos esse ex eo concludit, quod talem urbanitatem, qualem in hoc dialogo, nulla in fabula Plautina inveniamus. Poetam autem a tali genere dicendi abhorruisse, quod illud ad mores rusticos Romanorum non quadraverit, vir doctus contendit. Si autem Plautus eas tantum comoedias docere voluisset, quae ad mores Romanorum quadrarent, omnino alias fabulas transferre debuit. Poetae enim novae comoediae Graecae res atque mores lenonum, meretricum, adulescentium in venerem effusorum describunt atque depingunt, qui ad pravam consuetudinem saeculi diadochorum in vitia prolapsi quadrant, a moribus autem Romanorum, qui Plauti aetate fuerunt, abhorrent. Tamen argumenta illarum fabularum translatarum populo Romano placuerunt. Itaque me quidem iudice Plautus eodem iure hanc quoque scaenam cum moribus Romanorum discrepantem fabulae inserere poterat.

Huc accedit aliud argumentum, quod Leo (l. c. p. 164) protulit Schmidtii sententiae his verbis repugnans: „Aber soll man gegen eine solche Athetese noch Gründe anführen? Der eine reicht aus, dass das Stück Dittographien hat, also zum alten Bestande gehört.“ Dittographias enim Plautinas, quae in hac quoque scaena inveniuntur (velut v. 642—666/668 [1]); v. 716 sq. — 723 sq. [2]) paulo post mortem Plauti ortas esse iam Goetzius [3]) rectissime exposuit. Itaque verisimillimum est illos versus ipsos, qui dittographiis tamquam fundamento fuerunt, vere Plautinos esse.

Me quidem iudice Plautus ipse versus 612—765 ex anonymo exemplari Graeco (B) desumptos in Militem gloriosum videtur immisisse his de causis. Primum enim statuendum est versus 612 sq. optime ad finem actus secundi quadrare. Postquam Periplectomenus domum rediit, ut senatus haberetur, Palaestrio, Periplectomenus, Pleusicles dicentes se eodem consilio, quod intus meditati sunt, rem gesturos esse exeunt. Itaque rectissime Leo (l. c. p. 165) illos versus (612—765) in exemplari B, ex quo Plautus eos desumpsit, versum 595 secutos esse putat.

Ab illa sententia F. Schmidtius abhorret iudicans Periplectomenum, quem hac in scaena invenimus, dissentire a Periplectomeno, qui aliis in scaenis est. Ille vir doctus offendit in eo, quod senex, qui comitatem suam et urbanitatem praedicavit, versibus 672 sq. exponat, quanto incommodo sit, si quis conubium inierit, quamquam Pleusiclem Philocomasium in matrimonium ducturum esse non ignoraverit. Sed mea quidem sententia adulescens omnino non in animo habet Philocomasium in matrimonium ducere. Argumenta, quae Schmidtius ad sententiam suam confirmandam attulit minime probabilia esse mihi videntur; nam primum in omnibus fabulis, si quis puellam in matrimonium ducturus est, hoc de consilio verbis perlucidis

1) Cf. O. Ribbeck: Mus. Rhen. XII p. 598 sq.; Lorenz l. c. adn. crit. ad v. 666/668; Brix l. c. adn. ad v. 672.

2) Cf. O. Ribbeck l. c. p. 598; Lorenz l. c. adn. crit. ad v. 723; Brix l. c. adn. crit. ad v. 723.

3) G. Goetz: Dittographien im Plautustexte nebst methodischen Folgerungen, acta soc. phil. Lips. VI (1876) p. 267.

certiores fimus. In Milite glorioso autem nihil hac de re dicitur. Deinde vix credibile est Pleusiclem, qui (v. 103):

publice legatus Naupactum fuit
Magnai rei publicai gratia,

filiam lenae (v. 108, 110) uxorem sibi coniuncturum esse. Tum Philocomasium et meretrix (v. 100) et concubina nominatur non modo a Sceledro (v. 362, 416, 458, 470, 549) aut a Pyrgopolinice (v. 973, 1095), sed etiam a Palaestrione (v. 140, 337, 814) et a Periplectomeno ipso (v. 508, 937). Mihi re vera ille lepidus senex actus secundi, qui, ut Palaestrio v. 136 sq. docet, „illi amanti suo hospiti morem gerit, opera consilioque adhortatur, iuvat“, qui ipse consilium parietem perfodiendi dedit, optime congruere videtur cum sene huius scaenae, quem summos sumptus pro hospite facere non paenitet, qui adulescentem monet (v. 677/678):

Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine:
Liberae sunt aedis, liberum autem ego me uolo uiuere.

Versus igitur 596—611 et 765—804 praebent scaenam ex Alazone (A) a Plauto translatam. Poeta autem post versum 611 dialogum (612—765) ex exemplari B desumptum inseruit. In B autem versus 612—765 ea verba consecuti sunt, quae hac in fabula Periplectomenus versu 595 facit.

Cui explicationi versus 805—810, quibus Palaestrio Pleusiclem adhortatur, ne amatam, ubi miles advenerit, Philocomasium nominet, videntur repugnare. Quid illa verba dicere velint, neque Pleusicles neque ii, qui spectant, intellegunt, quin etiam illa verba per totam hanc fabulam omnino non respiciuntur. Itaque recte quispiam dicat: si re vera versus 765—804 ex Alazone fluxissent, non intellegerem, qua causa adductus Plautus Palaestrionem et Pleusiclem non eadem verba, quae in Alazone fecerunt, facere iusserit. Sed verisimillimum esse mihi videtur illam scaenam, quam ex Alazone desumptam esse supra demonstravimus (v. 596—611 et v. 765—804), persona Pleusiclis caruisse. Atque primum adulescens per totam hanc scaenam verba non facit. Deinde non est, cur dialogo servi et senis intersit. Tum ei id, quod faciendum est, a Palaestrione in scaena IV 4 imperatur. In Alazone igitur Palaestrio tantummodo Periplecto-

menum evocavit, Plautus autem, quoniam illud colloquium inter Periplectomenum, Pleusiclem, Palaestrionem habitum huic scaenae inseruit, adulescentem quoque exire atque colloquio inter servum et senem habito (765—804) interesse iussit. Qua ratione poeta post versum 804 Pleusiclem removere coactus illos versus (805—812) de suo addidit.

§ 4. De actus tertii scaena secunda. Postquam in scaena III 1 Periplectomenus, Pleusicles, Palaestrio deliberaverunt, quid faciendum sit, ut concubina militi eo die eripiatur, Palaestrio in scaena sequenti Sceledrum evocat. Pro servo autem Lurcio suppromus progreditur, qui nuntiat Sceledrum calicem clanculum ita tetigisse, ut „illi crebro capite cadi" sisterent. Neque minus Lurcio vinum „absorbuit", qui nunc timens, ne Palaestrio erum a foro adducat, aufugit.

Quae scaena neque scaenis antecedentibus praeparata neque scaenis sequentibus ullius momenti est. Dicat quispiam Lurcionem subcustodem amovendum esse, ne Philocomasium impediatur, quominus per parietem perfossum Periplectomeni domum transeat, ut verba Palaestrionis demonstrant (v. 867—869):

Modo intellexi quam rem mulier gesserit:
Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suom
Foras ablegauit, dum ab se huc transiret. placet.

Sed primum Lurcionem, qui in nulla nisi in hac scaena prodit, mulieri impedimento esse, quominus in domum vicinam transire possit, non comperimus nisi subcustode iam remoto, ut recte Schmidtius (l. c. p. 380 sq.) demonstravit. Deinde neque Pleusicles neque Palaestrio in III 1 deliberantes, quomodo Philocomasium abducenda sit, respiciunt Lurcionem amovendum esse. Tum Lurcio meretrici impedimento omnino esse non potest, quoniam secundum versus 140/141 nemini eius conclave ingredi licet. Postremo Lurcio non a muliere foras ablegatus aufugit, sed quod timet, ne erus domum redeat. Nam versu 858 Palaestrio minatur:

Iam hercle ego erum adducam a foro.

Deinde Lurcio secum deliberat (v. 859—861):

Perii: excruciabit me erus, domum si uenerit,
Quom haec facta scibit, quia sibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquo atque hoc in diem extollam malum.

Qui versus perlucide docent Lurcionem poenam a milite metuentem discedere. Puerum abeuntem Palaestrio persequitur verbis (v. 863): *Quo te agis?* et Lurcio fingit:

Missus sum alio: iam huc reuenero.

Simili modo Lurcio servo interroganti: *Quis misit?* respondet *Philocomasium.* Atque Palaestrio, quamquam per totam fabulam partes servi callidissimi agit, pueri verbis fidem habens astutiam mulieris laudat. Illi versus (867—869) igitur huic loco non apti sunt atque minime quadrant ad Palaestrionis mores. Itaque rectissime iam Leo (l. c. p. 167) illos versus a Plauto de suo additos in suspicionem vocavit. Qua de causa poeta illos versus fabulae suae inseruerit, infra disputabimus.

Scaena III 2 autem non modo ad scaenas sequentes nihil valet, sed etiam cum scaenis antecedentibus discrepat hac de causa. Sceledrus actu secundo exeunte aufugit, ut se aliquot dies occultaret (v. 581—584, 593). Sed hac in scaena Palaestrio Sceledrum evocat, quem ebrium in cella vinaria militis dormire Lurcio nuntiat. Actus secundus id spectat, ut Sceledrus aufugiat, ne Philocomasio eripiendae impedimento sit. Scaena III 2 efficitur, ut Sceledrus ebrius dormiens et Lurcio aufugiens impedire non possint, quominus mulier a milite abducatur.

Quibus ex argumentis recte Leo (l. c. p. 165 sq.) conclusit scaenam III 2 alterius exemplaris Graeci esse atque actum secundum. Actus II, ut iam supra demonstravimus, a Plauto ex exemplari B Alazoni (A) insertus est. In actu III poeta ad A revertitur, in quo promus mulieri custos praefectus est. Ille ebrius in cella vinaria dormit, socius eius aufugit. Quae scaena in Alazone certe multo melius praeparata erat quam in Plauti Milite glorioso.

Utraque igitur fabula ineunte custos mulieris abducendae amovetur. Initio exemplaris B custos pariete perfosso ita deceptus est, ut timens, ne a milite propter maledicta in hospitam vicinam coniecta poena afficiatur, quam celerrime decedat. Quam partem exemplaris B Plautus pro initio Alazonis in Militem gloriosum inseruit. Nihilominus scaenam III 2, quamquam illa ad eam partem Alazonis pertinet, pro qua actus secundus substitutus est, non reiecit neque discrepantias hoc modo ortas

removit. Versus 867—869 autem, de quibus iam supra disputavimus, poeta de suo addidit, ut hoc modo exemplaria inter se diversa coniungeret.

II. De Poenulo.

§ 5. Plauti Poenulum discrepantiis abundare iam dudum viri docti intellexerunt. Quorum Teuffelius[1]) hanc fabulam poetae delassato, qui eodem anno iam Bacchides et Militem gloriosum composuerit, tamquam excidisse putat. Teuffelii iudicio Goetzius[2]) repugnat, cui turbae eo ortae videntur esse, quod actus quartus in textu genuino actui secundo praepositus per retractatorem quendam resectus sit atque ab eo, qui textum, quem nunc habemus, ediderit, ex alio fonte falso loco adiectus. Goetzii sententiam Seyffertio[3]) probatam Langenus[4]) impugnat, qui Poenulum e duobus exemplaribus Graecis contaminatam esse contendit, quamquam Goetzius (l. c. p. 8 adn. 2) quoque hanc fabulam contaminatam esse posse non infitiatur. Praeter Langenum Reinhardtus[5]), Franckenus[6]), Langrehrius[7]), Leo[8]), Karstenus[9]) Poenulum in numero fabularum contaminatarum habendam esse demonstrare conati sunt. Argumenta autem a viris doctis allata sunt haec.

Ineunte fabula (I 1) Agorastocles adulescens queritur, quod per Lyconem lenonem a consuetudine Adelphasii, quam „immodeste amat", prohibetur. Milphio autem, Agorastoclis servus, sese „totum lenonem cum tota familia adulescenti hodie dono" daturum esse (v. 168/169) promittit hunc dolum excogitans. Collabisco, adulescentis servo vilico, argentum dabitur, quod ad lenonem deferat petens, ut sibi locum liberum et amicam praebeat. Ubi primum leno eum ad se receperit, Agorastocles rogabit, num servus suus ad eum venerit. Lenonem, si negabit, adulescens accusabit, quod „auri et hominis fur sit" (v. 184). Tum praetor totam familiam lenonis adulescenti addicet.

1) W. S. Teuffel: Studien und Charakteristiken zur griech. und röm. sowie zur deutschen Literaturgeschichte. Leipzig 1871, p. 274—276.

2) G. Goetz: De compositione Poenuli Plautinae, Ind. lect. Ien. 1883/1884.

3) O. Seyffert: Bursians Jahresber. 47 p. 115.

4) P. Langen l. c. p. 181—198.

5) L. Reinhardt: De retractatis fabulis Plautinis, Studem. Stud. I 1 p. 109/111.

6) C. M. Francken: De Poenuli Plautinae compositione, Mnemosyne IV (1876) p. 146/175.

7) G. Langrehr: De Plauti Poenulo, Progr. des Gymnasiums zu Friedland 1883, p. 13 sq.

8) F. Leo l. c. p. 153—161.

9) H. T. Karsten: De compositione Poenuli, Mnemosyne N. S. 29 (1901) p. 363—387.

Qui dolus per actum primum et tertium summa cum diligentia praeparatur. Milphio Collabiscum, quem iam Agorastocles perdocuit, quid faciendum esset (v. 193 sq.), ornamentis et sycophantiis exornat (v. 425). Agorastocles autem abit (I 3), ut testes arcessat, qui, dum pecunia lenoni traditur, praesto sint, ut delictum a Lycone commissum postea testimonio suo apud iudices confirmare possint. Atque re vera consilium Milphionis prospere succedere videtur. Collabiscus enim, postquam in actu tertio „basilice exornatus" advocatis praesentibus Lyconi pecuniam tradidit, domum lenonis intrat. Lyco autem ab Agorastocle interrogatus negat se servum eius domum suam recepisse. Cum autem advocati ei persuaserint Collabiscum re vera servum Agorastoclis esse, aufugit haec verba faciens (v. 794/795): *Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo*
Suspendere aequom censeant potissumum.

Adulescens autem ab advocatis petit, ut cras mane in comitio adsint. Quae cum ita sint, omnes difficultates sublatae videntur, ut adulescens mox amicam suam amplecti possit. Sed ille dolus per actus sequentes neglegitur et Milphio novum consilium cum antecedenti minime cohaerens excogitat, ut meretricem Lyconis manibus eripiat (IV 1). A Syncerasto enim, lenonis servo, certior factus illas duas sorores ingenuas esse et duodeviginti minis emptas ab Hannone Poeno petit, ut fingat illas duas puellas esse filias suas Carthagine surreptas. Paulo post autem apparet illas duas sorores esse veras filias Hannonis et Agorastoclem esse filium fratris eius. Lyco concedit sorores parvulas cum nutrice surreptas esse et ipse se adulescenti addicit, qui sibi Adelphasium despondet.

Hoc modo concinnitas fabulae deleta atque disturbata est; nam spectatores, qui usque ad actum tertium exeuntem sperant lenonem dolo Milphionis in calumnia et malitiosa iuris interpretatione posito periturum esse, valde decipiuntur atque inde ab actu quarto novum consilium cum antecedenti minime cohaerens, quod in anagnorisi positum est, sequuntur.

Poenulus igitur duo continet argumenta plane inter se diversa, quorum utrumque idem spectat, ut lenoni amica adulescentis eripiatur. Neutrum altero praeparatur aut continuatur. Quin exemplar Graecum tali modo compositum non fuerit, vix dubium esse potest. Itaque Langenus [1]) rectissime conclusit Carchedonio (act. IV, V) (A), quam exemplar Poenuli fuisse prologi versus 53 [2]) docet, a Plauto contaminante alterum exemplar (act. I, III) anonymum (B) insertum esse. Quae sententia, quam Leo (l. c. p. 154/155) secutus est, his quoque argumentis confirmatur.

Illae duae sorores enim, quae in parte prima (B) prodeunt, haud exigue a sororibus, quas in actibus IV et V (A) invenimus, abhorrent. In B mulieres meretrices esse huius quaestus peritas cum alii versus scaenae I 2 (v. 235sq., 285, 304) edocent tum versus 265—270:

Turbast nunc apud aram. an te ibi uis inter istas uorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, schoeno delibutas, seruolicolas sordidas,
Quae tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum,
Quas adeo hau quisquam umquam liber tetigit neque duxit domum,
Seruolorum sordidulorum scorta diobolaria?

Quae verba neminem pronuntiare posse nisi quae aram frenquentavit luce clarius est.

1) P. Langen l. c. p. 182: „Meines Erachtens ist es undenkbar, dass der griechische Dichter in dieser unbegründeten Weise zwei Intriguen mit doppelter Wirkung nebeneinandergestellt haben sollte. Anders dagegen liegt die Sache, wenn wir annehmen, dass Plautus, um mehr Leben in die Handlung zu bringen und die komische Wirkung bei den Zuhörern zu steigern, zwei Vorlagen mit einander kontaminiert hat."

2) Prol. v. 53: „Carchedonius uocatur haec comoedia."

Contra in A hoc ipso die mulieres inter meretrices recipientur, ut ex eis verbis, quae Giddenis facit, elucet (v. 1139/1140) [1]):

Namque hodie earum mutarentur nomina
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

Huc accedit, quod in B Adelphasium sperat sese per adulescentem lenonis manibus ereptum iri, ut versus 361—363 ostendunt. In A autem sororum spes in parentum auxilio posita est (cf. v. 1207/1208).

Quae cum ita sint, satis demonstrasse mihi videor Plautum Poenulum e duabus fabulis Graecis contaminasse. Carchedonii (A) argumentum fuit hoc: adulescens puellam, quae una cum sorore in lenonis potestate est, amat. Hoc ipso die mulieres inter meretrices recipientur. Ne illud fiat, servus adulescentis a lenonis servo certior factus illas sorores ingenuas esse hoc consilium excogitat. Carthaginiensem quendam advenientem rogat, ut sorores fingens sese illarum patrem esse lenoni eripiat. Paulo post sorores esse veras filias Carthaginiensis apparet. Agorastocles sibi amicam despondet.

Cui fabulae (A) Plautus contaminans [2]) aliam fabulam (B) inseruit, in qua adulescens meretricem amat, quae una cum sorore in lenonis potestate est. Adulescens, quamquam pecunia abundat, a consuetudine per lenonem prohibetur. Itaque adulescentis servus, ut meretrix lenoni eripiatur, hunc dolum componit. Servus adulescentis, quem leno ignorat, militis vestitu ornatus a lenone petit, ut sibi pro argento dato locum liberum et amicam praebeat. Leno ab adulescente interrogatus negat sese servum eius domum suam recepisse. Praetor autem totam familiam lenonis, qui „auri et hominis fur sit", adulescenti addicit.

Quaeramus nunc, quomodo Plautus illas duas fabulas conflaverit.

§ 6. De actu primo. Inspiciamus actus primi scaenam primam. Iam Franckenus (l. c. p. 158/159) et Langenus (l. c.

1) Hac de quaestione bene disputavit P. Langen l. c. p. 183—185. Cf. praeterea Leo l. c. p. 155; Karsten l. c. p. 363.

2) Cf. Leo l. c. p. 154.

p. 192) in eo offenderunt, quod expositio fabulae non satis perlucida sit, sed tantum his verbis Agorastoclis contineatur (v. 156—158):

Differor
Cupidine eius: sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutumst lutulentius.

Qua de causa leno adulescenti ditissimo et amicam emendi cupido puellam deneget, non comperimus. Quam neglegentiam non poetae Graeco, ut Franckenus et Langenus putant, sed Plauto ipsi attribuendam esse ex eo apparet, quod in aliis fabulis velut in Curculione haec explicatio non deest [1]). Deinde rectissime Leoni displicuit dolum, quem Milphio ad lenonem perdendum excogitat, praepropere adversus comicorum consuetudinem in proximis versibus 159—189 sequi. Tum vir doctus haeret in eo, quod Agorastocles solus abit, Milphio autem in scaena remanet, quamquam servus ipse dixit (v. 194/195):

Abeamus intro, ut Collabiscum uilicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.

Quibus e discrepantiis Leo (l. c.) scaenam primam hoc modo a Plauto compositam esse concludit. Versus 129—154 e prima scaena Carchedonii esse desumptos, versus autem 155—202 e fabula B esse insertos, in qua versus 155—189 post v. 415, versus 190—202 post v. 409 collocati fuerint. Versus 203—209 Carchedonii esse.

A sententia Leonis Karstenus (l. c. p. 374—381) dissentit ratus totam scaenam e fabula B desumptam esse. Suspicatur enim post v. 158 in fabula anonyma contumaciam lenonis, implorationem Agorastoclis, promissionem Milphionis secutas esse. Deinde ambos domum intrasse et soliloquium Lyci secutum esse. In scaena sequenti tum Milphionem pauca praefatum Agorastocli exeunti inventa sua enarrasse incipiens fere ab eis, quae post v. 159 legantur.

Certe expositio fabulae B, quae iam actu tertio ad finem quendam perducitur, fusius in exemplari Graeco explicata est. Itaque sententia Karsteni, qua docet nonnullas scaenas Graecas

1) Cf. Leo l. c. p. 159—161.

in unam scaenam Latinam a Plauto contractas esse, iam propter simplicitatem sententiae Leonis contortae atque difficili praeferenda esse mihi videtur.

Scaenas I 2 et I 3 fabulae B esse ex eis, quae iam supra exposuimus, elucet.

§ 7. De actu secundo. Per totam hanc disputationem de Plauti Poenulo habitam nullam rationem actus secundi habui, qui unam tantummodo continet scaenam, in qua Lyco leno et Antamoenides miles prodeunt. Lyco aegre fert, quod haruspex omnibus in extis malum damnumque ei portendi dixit. Miles autem frustra a lenone petit, ut „addicat sibi meretricem minusculam". Deinde uterque lenonis domum se confert atque miles non prodit nisi demum in scaena V 5.

Cui exemplari Graeco haec scaena attribuenda sit, subdifficile est diiudicatu. Alii viri docti, velut Reinhardtus, Langenus, Karstenus, eam fabulae B, alii, velut Franckenus, Leo, Carchedonii (A) esse contendunt. Et in B (v. 746/750, 791/793) et in A (v. 847/848, 917/918) sacrificii infausti a lenone facti ratio habetur. Ponendum est magnam similitudinem inter illas duas fabulas Graecas intercessisse. Hac ipsa similitudine Plautus adductus videtur esse, ut illas fabulas in unam contaminaret. Ea scaena igitur, in qua leno a sacrificio redit, et fabulae B et A esse potest. Tamen argumenta non desunt, quibus demonstratur, e quo exemplari Graeco haec scaena translata sit. Ut iam Leo [1]) recte docuit, hac scaena optime scaena IV 2 praeparatur, quam A esse supra demonstravimus; nam Antamoenides Lyconi, qui „votuit exta prosicarier", dicit (v. 491/492):

Age eamus intro, dum exta referuntur, uolo
Narrare tibi etiam unam pugnam.

Servus autem a templo in scaena IV 2 revertitur atque eodem modo, quo leno versibus 453/454 dixit:

1) Leo l. c. p. 157: „Der mit den beim Opfer gebrauchten Gefässen (847. 863) aus dem Tempel zurückkehrende Syncerastus gehört notwendig in den Καρχηδόνιος und zieht das hübsche Motiv, dass der Herr im Aerger über die Bosheit der haruspices vom Opfer weggeht und sich die exta nach Hause bringen lässt, nach sich in dasselbe Stück."

Sex immolaui agnos nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi,

seruus nuntiat versibus 847/848:

Nunc domum haec ab aedi Veneris refero uasa, ubi hostiis
Erus nequiuit propitiare Venerem suo festo die.

Alterum autem argumentum Leonis [1]) contendentis sacrificium infaustum lenonis Carchedonii (A) anagnorisin respicere nullius momenti esse mihi videtur; nam sacrificium eodem iure ad calamitatem lenonis pertinere potest, quam in fabula B capit, in qua dolo per Milphionem excogitato meretrices ei eripiuntur. Iam Franckenus [2]) in eo offendit, quod in Plauti Poenulo duo milites in scaenam prodeunt. In actu secundo enim miles Antamoenides in scaenam prodit, in actu tertio Collabiscus militis habitu instructus inducitur. Cum vix credibile sit in uno exemplari Graeco duos milites in scaenam prodiisse, verisimile esse mihi videtur Antamoenidem alterius exemplaris Graeci atque Collabiscum i. e. Carchedonii esse.

Paucis verbis nunc quaerendum est, quem locum miles in Carchedonio habuerit. Franckenus [3]) enim militem, cuius mores in Graeca fabula non ita depravati fuerint, Anterastilin in matrimonium duxisse putat. Haec sententia ne Leoni [4]) quidem improbabilis videtur esse. Sed duo argumenta Franckenii opinioni repugnare mihi videntur. Primum enim mores omnium

1) Leo l. c. p. 158: „Dass der Haruspex den beiden Schwestern verkündet hat, sie würden in wenigen Tagen die Freiheit erlangen (1205 sq.) ist offenbar für die Scene der ἀναγνώρισις erfunden; und so bringt Syncerastus es vor, als Gegensatz gegen den üblen Erfolg seines Herrn; dieser aber berichtet ausführlich über die Sache 449 sq.“

2) C. M. Francken l. c. p. 169: „Praeterea militis persona omnino minus apta hic est: Collybiscum quoque militis Spartani habitu induxit Plautus; varietati melius consuluisset, si nautam mercatoremve induxisset.“

3) Francken l. c. p. 170: „Sed Anterastili quid fiat incerti haerent spectatores. — Suspicor mores militis a Plauto in peius esse mutatos; is qui fabulam invenit, quisquis fuit, non tam ridiculum et contemnendum finxit hominem, ut Anterastilis amore indignus esset.“

4) Leo l. c. p. 158: „Er (miles) scheint dort (in Carchedonio) ein ähnliches Verhältnis zu Anterastilis gehabt zu haben wie Agorastokles zu Adelphasium. Die Vermutung Franckens, dass im Original auch jene ein Paar wurden, gewinnt dadurch an Wahrscheinlichkeit.“

militum in fabula prodeuntium depravati sunt. Deinde militis partes ita Plauto convertendae fuissent, ut miles Carchedonii valde a milite Poenuli abhorreret. Franckenus ad hanc sententiam pervenit, quod spectatores fabula exeunte incerti haerent Anterastili quid fiat. Sed in Menandri Andria quoque spectatoribus ignotum est, quid Philumenae fiat. Terentius demum Charinum Philumenam sibi despondentem ad Menandri Andriam addidit. Quamquam Franckeni sententiam improbo, tamen Karstenum (l. c. p. 373/374) minime sequar, qui argumentis Franckeni refutatis militem in Carchedonio locum habere non potuisse putat. Me quidem iudice miles in Carchedonio easdem partes egit atque in multis aliis fabulis, ut rerum secundarum aliarum personarum particeps non fieret.

Quae cum ita sint, Plautus Poenulum ita videtur composuisse, ut actus I et III e fabula anonyma (B), actus II, IV, V e Carchedonio (A) desumpti sint.

§ 8. Restat, ut de nonnullis locis agamus, quos Plautus ad fabulas coniungendas de suo videtur addidisse. In actus tertii scaena tertia Lyco e domo egreditur haec verba faciens (v. 615/618):

Iam istoc ego reuortar, miles: conuiuas uolo
Reperire nobis commodos, qui una sient.
Interibi attulerint exta, atque eadem mulieres
Iam ab re diuina, credo, apparebunt domi.

Quos versus actum secundum respicientes poeta de suo videtur attulisse, ut hoc modo actum secundum cum actu tertio coniungeret et difficultates contaminatione ortas eximeret.

Simili modo Plautus scaenam brevissimam IV 1 de suo adiunxit, quae actum tertium respicit (*Exspecto, quo pacto meae techinae processurae sient*) et scaenam sequentem IV 2 praeparat (*Attat, e fano recipere uideo se Syncerastum*).

Praeterea duobus locis actus quarti doli a Milphione in actu tertio excogitati ratio habetur et in versibus 908/909:

Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem ciuerit:
Ita paratumst

et in versu 919:

Satine, prius quam unumst iniectum telum, iam instat alterum?

Optime Leo[1]) intellexit illos duos locos minus aptos esse, quia proponunt Milphionem, architectum doli, ignorare, quam bene dolus successerit. Inde ab his versibus fabulae anonymi ratio non habetur praeter verba a Lycone fabula exeunte versibus 1338—1341 facta, quae cum versibus 794/795 actus tertii congruunt.

Plautus igitur hac quoque in fabula difficultates contaminatione ortas obtegere vel obscurare studuit. Actu primo ineunte partes nonnullarum scaenarum exemplaris B videtur abiecisse, ut illas in unam contrahere posset. Praeterea poeta Latinus et actui tertio nonnullos versus ad Carchedonium (A) pertinentes (velut v. 615—618) et actibus quarto et quinto versus ad fabulam anonymi (B) spectantes (velut v. 817—822, 908—909, 919, 1338—1341) addidit.

III. De Pseudolo.

§ 9. Quoniam de Poenulo satis diximus, accingamus nos ad Pseudolum tractandam. Discrepantias, quas in Plauti Pseudolo invenimus, contaminatione ortas esse et Leo[2]) et Bierma[3]) demonstrare studuerunt, a quorum sententia Karstenus[4]) abhorrens affirmat argumentum Pseudoli esse unum et simplex neque iustam admittere contaminationis suspicionem (cf. l. c. p. 156).

Omnium actuum actus secundus et quartus ita inter se apti colligatique sunt, ut sine ulla dubitatione ex eodem exemplari Graeco (A) desumpti sint. Secundum illos actus fabula hoc continet argumentum. Ballio leno militi Macedonio cuidam

1) Leo l. c. p. 155/156: „Beide beruhen auf der Fiktion, dass Milphio von dem glücklichen Erfolge des gegen Lycus ausgeführten Streichs noch nichts erfahren habe, er der Erfinder und architectus doli, der mit seinem Herrn auf der Lauer liegt und im natürlichen Verfolg der Scene III 2 Alles zuerst erfahren müsste."

2) F. Leo: „Ueber den Pseudolus des Plautus", Nachr. von d. K. Ges. d. Wissenschaften Göttingen, phil.-histor. Klasse 1903, p. 347—354.

3) I. W. Bierma: „Quaestiones de Plautina Pseudolo", Groningae 1897.

4) H. T. Karsten: „De Plauti Pseudolo", Mnemosyne N. S. 31 (1903) p. 130—156.

mulierem, quam Calidorus adulescens amat, viginti minis vendidit, quarum quindecim iam solutae sunt (v. 616/618); miles se quinque minas quae superessent (v. 619) praestituta die, h. e. eo ipso die, daturum esse (v. 623/624) promisit et lenoni symbolum tradidit (v. 648), ut is, qui eius simile symbolum et quinque minas afferret, meretricem abduceret. Pseudolus autem, Simonis servus, militem praevenire et mulierem lenoni aliquo dolo eripere in animo habet (II 1). Simo ratus servi propositum prospere eventurum non esse, Pseudolo viginti minas promittit, si id effecerit (v. 733, 1068/1069); contra Pseudolus, si non effecerit, in pistrinum ire non gravatur (v. 1060, 1099/1100). Atque re vera servo contingit, ut lenonem decipiat; nam ab Harpace, militis nuntio, symbolum sibi comparat, quod Simiae, sycophantae cuidam, tradit, ut ille mulierem a lenone abducat. Ballio ratus verum Harpacem meretricem abduxisse, Simoni sese viginti minas daturum esse promittit, si a Pseudolo deceptus fuerit. Sero autem leno intellegit sese a Pseudolo illusum esse.

Sed age nunc perscrutemur ceteri actus cum hoc argumento num congruant.

§ 10. De actus primi scaena prima. Quicumque scaenam primam actus primi cum scaena tertia comparaverit, in eo haerebit, quod expositio fabulae bis enarratur et in scaena I 1 et in I 3. Calidorus litteris a Phoenicio missis certior factus est (v. 41—44, 51—59, 64—73) amicam suam militi Macedonio veniisse et proximis Dionysiis, quae cras essent, abductum iri. Non ignorat militem quindecim minas iam enumerasse et imaginem suam in cera ex anulo expressam reliquisse, ut is, qui eius simile symbolum et quinque minas afferret, tibicinam abduceret. Quae cum ita sint, exspectes, ut Calidorus lenonem in scaena I 3 increpet, cur Phoenicium vendiderit, quamquam promiserit (v. 352) se illam nemini nisi Calidoro venditurum esse. Neque vero adulescens lenonem vituperat, quin etiam Pseudolus a Ballione brevem moram petit (v. 283/284) qua argentum comparare possit, quod Calidorus pro Phoenicio stipulatus est. Attamen et adulescens et servus meretricem iam veniisse et moram ea de causa nihil proficere posse non nesciunt.

Neque desunt aliae discrepantiae inter I 1 et I 3 positae. Versu 325 enim Ballio sese Phoenicium non iam venalem habere dicit. Quae verba adulescentem summo gaudio afficiunt ratum Phoenicium ea de causa non venalem esse, quod leno illam nemini nisi Calidoro ipsi vendere in animo habeat. Quae Ballionis verba, quamquam per se ambigua sunt, tamen ab adulescente litteris de venditione edocto ita intellegenda erant Phoenicium ea de causa venalem non esse, quod leno eam iam militi vendiderit.

Praeterea dies, quo Phoenicium a milite abductum iri dicitur, in alia scaena alia memoratur. Versu 58 sq. enim Pseudolus dicit:

Ei rei dies
Haec praestitutast: proxuma Dionysia

et Calidorus respondet:

Cras ea quidem sunt.

Simili modo Calidorus versu 82 dicit:

Ille abducturus est mulierem cras.

Contra miles non cras, sed illo iam die mulierem abducturus est secundum scaenae tertiae versus 373/374:

Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,
Sicut haec est praestituta summa ei argento dies eqs.

Harpax re vera hodie advenit[1]).

Minime verisimilis est sententia A. Schmittii (l. c. p. 28/29) iudicantis Pseudolum et Calidorum dissimulare se scire, quid Ballioni cum milite convenerit; nam scaena I 3 adulescentem adhuc ignorare amicam suam venditam esse et nunc demum lenonis verbis hac de re certiorem fieri proponit, ut optime

1) Secundum A. Schmittii (De Pseudoli Plautinae exemplo Attico, Argentorati 1909, p. 9/10, 22/23) sententiam illae discrepantiae eo ortae sunt, quod leno in Graeca fabula non diem natalem, sed Dionysia hodie celebravisset. Plautum autem, cum Romae Dionysia non agerentur, lenonem diem natalem celebrantem induxisse. Tamen poetam Latinum nonnullis in scaenis Dionysia non omisisse, sed cras Dionysia esse, cras militem venturum esse dicere voluisse, quod re vera versibus 58 sq. et 82 fecisset. Ceteris autem locis Plautum erravisse et „hodie" scripsisse. Sed me quidem iudice Plautus Dionysia, si re vera ita a consuetudine Romanorum aliena fuissent, omnibus locis removisset.

elucet e versibus 341—349: (Ca) *Non habes uenalem amicam tu meam Phoenicium?* (Ba) *Non edepol habeo profecto: nam iam pridem uendidi.* (Ca) *Quo modo?* (Ba) *Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.* (Ca) *Meam tu amicam uendidisti?* (Ba) *Valde: uiginti minis.* (Ca) *Viginti minis?* (Ba) *Utrum uis, uel quater quinis minis: Militi Macedonio. et iam quindecim habeo minas.* (Ca) *Quid ego ex te audio?* (Ba) *Amicam tuam esse factam argenteam.* (Ca) *Qur id ausu's facere?* (Ba) *Lubuit: mea fuit.* (Ca) *Eho, Pseudole, Ei, gladium adfer.* (Ps) *Quid opust gladio?* (Ca) *Qui hunc occidam atque me.*

Recte iam monuit Lorenzius (ed. praef. adn. 17): „Auffallend bleibt es auch, dass Calidorus, nachdem er 330 (342) vom Verkaufe der Phoenicium gehört hat, 331—338 (343—350) so erstaunt und erbittert tut, als ob es ihm gänzlich unbekannt wäre, während er doch aus ihrem Briefe Alles erfahren gewesen wäre, während er doch aus ihrem Briefe Alles erfahren hat." Quam sententiam Lorenzii et Langenus[1]) et Bierma[2]) et Karstenus[3]) probaverunt. Quin exemplar Graecum illas offensiones non praebuerit, dubium esse non potest. Expositionem autem genuinam non scaenam primam, sed scaenam tertiam (v. 269—382) continere vel ex eo concludi potest, quod expositio in scaena tertia multo diligentius instituitur atque peragitur. Itaque iure ac merito omnes fere viri docti contenderunt argumentum epistolae, quae in scaena prima commemoratur, in

1) P. Langen l. c. p. 200: „Es steht dies in Widerspruch mit dem Beginn der Komödie, wo wir erfahren haben, dass Calidorus durch den Brief der Phönizium von dem Verkauf genau unterrichtet ist: eine Verstellung aber bei Calidorus anzunehmen entspricht überhaupt seinem Charakter nicht und am allerwenigsten der augenblicklichen Lage."

2) I. W. Bierma l. c. p. 37: „Concedatur necesse est, hac mente totam scenam scriptam esse videri, ut Calidorus ex Ballione hic primum cognoscat, Phoenicium militi Macedonio veniisse."

3) H. T. Karsten l. c. p. 134: „Omnium maxime pugnat cum epistola ingens laetitia Calidori, cum Ballio affirmat 323 „Vel sex menses opperibor . . . . quia enim non venalem iam habeo Phoenicium", et ingens ira atque indignatio, cum idem verba sua sic explicat 341 „Non habeo profecto (venalem), nam iam pridem vendidi . . . . XX minis militi Macedonio et iam XV habeo minas." Cum rem dudum cognovisset ex epistula, ineptum est haec Calidorum ita commovere ut gladium poscat quo se occidat (349)."

exemplari Graeco aliud fuisse et a Plauto commutatum esse. Qua de causa poeta hanc epistulam commutaverit, viri docti inter se dissentiunt.

Karstenus enim (l. c. p. 136) suspicatur epistulam in exemplari Graeco neque rationem neque tempus venditionis continuisse, sed Calidorum ab amica tantummodo aliquam monitionem accepisse, qua certior factus esset imminere periculum, ne amatori peregrino traderetur. Substituisse autem Plautum hos versus (51—59), ut dolor et desperatio Calidori statim ab initio spectatores propter periculum proxime imminens vehementius commoveret.

Multo autem verisimilior sententia Leonis[1]) esse mihi videtur, qui putet scaenam primam ex alio exemplari Graeco esse desumptam. Plautum autem hanc scaenam Pseudolo inserentem coactum esse argumentum genuinum huius epistolae commutare. Non modo litteras, sed totam scaenam primam cum ea parte scaenae tertiae, quae expositionem continet (v. 269—382), repugnare ex his quoque apparet. Pseudolus enim, postquam litteras Phoenicii perlegit, sese Calidoro viginti minas hodie comparaturum esse promittit (v. 114—120). Quam utilitatem, quaero, illae viginti minae Calidoro praebere possunt? Me quidem iudice nullam; nam Phoenicium iam veniit et quindecim minae iam solutae sunt. Etiamsi igitur Calidorus re vera lenoni viginti minas tradere posset, ille adulescenti amicam non venderet. Langenus (l. c. p. 199) dicit: „Was dem Calidorus die 20 Minen, welche er verlangt, nützen sollen, vermag man zuvörderst nicht zu begreifen; erst 373 ff. erfahren wir, dass Ballio bereit ist, gegen bare Zahlung von 20 Minen den früher mit einem Soldaten abgeschlossenen Kaufvertrag zu brechen.“ Quae sententia Langeni minime probabilis est, quod contra verba Plautina pugnat (v. 373/75):

1) F. Leo l. c. p. 348: „Der Brief Phöniziums nimmt durch die Verse 51—59 die in der zweiten Scene sorgfältig ausgeführte Exposition vorweg. Das ist unmöglich und nicht anders zu erklären, als dass der Brief ursprünglich wenigstens zum Teil einen der folgenden Handlung widerstrebenden Inhalt hatte und von Plautus dieser Handlung gemäss geändert worden ist.“

(Ba) *Nisi mihi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,*
Sicut haec est praestituta summa ei argento dies:
Si id non adfert, posse opinor facere me officium meum.

Ballio hoc loco verbis perlucidis dicit se tantummodo cras Phoenicium Calidoro, si argentum pependerit, vendere in animo habere. Cras autem leno iure ac merito meretricem adulescenti vendere potest neque pactum cum milite factum violat, quoniam miles, nisi hodie quinque minas solvit, diem mulieris emendae praestitutam praetermisit.

Quae cum ita sint, verisimillimum esse mihi videtur hanc scaenam I 1 a Plauto ex alio exemplari Graeco desumptam Pseudolo insertam esse. Quod argumentum huius scaenae in exemplari Graeco fuerit, verisimilitate quadam concludere possumus ex his. Pseudolus, ut supra exposuimus, promittit sese Calidoro viginti minas comparaturum esse, scilicet ut adulescens amicam suam a lenone redimere possit. Illae viginti minae autem adulescenti utilitatem praebere non possunt, nisi rivalis, quem praevenire ille in animo habet, usque ad id tempus pecuniam non pependit. Itaque argumentum huius scaenae in exemplari Graeco (B) hoc fuisse suspicor Leonem et Biermam secutus: servus erilem filium interrogat, cur tanto maerore affectus sit. Adulescens ei litteras legendas dat, quibus amica adulescentem certiorem facit lenonem in animo habere tibicinam divitiori cuidam viginti minis tradere. Si igitur erilis filius ne meretrix sibi eripiatur prohibere vult, quam celerrime viginti minae lenoni solvendae erunt. Servus promittit sese erili filio viginti minas, quas leno poscat, aliquo modo comparaturum esse. Quam scaenam Plautus Pseudolo inseruit. Ut illam ad argumentum Pseudoli accommodaret, epistulam ab amica missam commutavit. Alias autem discrepantias contaminatione ortas non removit.

§ 11. De actus primi scaena secunda. Actus primi scaena secunda ineunte leno lorarios et meretrices foras expellit, homines „ignavos, male habitos et male conciliatos, quorum numquam quicquam quoiquam venit in mentem ut recte faciant.“ Deinde suum cuique negotium tribuit, ut omnia parata sint, cum coquus veniat; nam hodie dies natalis lenonis est, quo

viros summos magnifice accipere in animo habet. Meretrices autem efficere iubet, ut „multa munera sibi ab amatoribus hodie conveniant“; (v. 178) *nam nisi mihi penus annuos hodie conuenit, cras populo prostituam uos.*

Quaeramus nunc, ex quo exemplari Graeco haec scaena desumpta sit. Bierma[1]) et Leo[2]) illam exemplari A tantummodo ea de causa attribuunt, quod leno, qui in A deperit, in hac scaena primas partes agit. Quod argumentum a Bierma et Leone adductum probabile esse mihi non videtur; nam in fabulis novae comoediae depravati mores „edacum parasitorum, avarorum lenonum“ (cf. Ter. Heautont. prol. v. 35—40) saepius non eo consilio depinguntur, ut eo maiore laetitia afficiamur, si illi homines fabula exeunte iustum detrimentum capiunt, sed saepissime illi homines tantummodo in scaenam prodeunt, ut risus spectantium moveant. In Captivis, ut unum exemplum afferam, Ergasili parasiti deperditi mores fusius depinguntur, ut nos huius impudentiae taedeat. Tamen parasitus hac in fabula detrimentum non capit, sed e contrario Hegio v. 895 eum culinae praeesse iubet. Quanta autem commoda Ergasilus ex hoc munere sibi comparaturus sit, optime e scaena IV 3 illius fabulae elucet. Cui exemplo multa alia, quibus demonstratur poetas Latinos vel Graecos mores nonnullarum personarum tantum ea de causa depinxisse, ut spectantes delectarent, addere potes. Quae cum ita sint, ex eo, quod leno in I 2 primas partes agit, me quidem iudice concludi non potest hanc scaenam ex ea fabula esse desumptam, cuius argumentum id spectat, ut leno decipiatur.

At huic scaenae alia difficultas adhaeret, quam Leo neglexisse, Bierma et Karstenus non recte explanasse mihi videntur. Ballio enim Phoenicium his verbis graviter increpat (v. 225—229):

1) I. W. Bierma l. c. p. 85: „perspicuum est et scenam secundam et tertiam, in quibus Ballio primarias partes agat, ad B (A) referendas esse.“

2) F. Leo l. c. p. 348: „Nun ist die in der ersten Scene angedeutete Intrigue gegen den Vater gerichtet; die zweite leitet die Aktion gegen den Kuppler ein: so fallen die beiden Scenen auseinander.“

Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque semper numeras,
Ea pacisci modo scis, sed quod pacta's non scis soluere,
Phoenicium, tibi ego haec loquor, deliciae summatum uirum:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur,
Cras, Phoenicium, poenicio corio inuises pergulam.

Quae verba Ballionis repugnant eis, quae ex epistula et paulo post in scaena I 3 e dialogo Calidori cum lenone habito cognoscimus. Ballio enim hoc loco amicae crimini dat: „quod pacta's non scis solvere“, quamquam a milite quindecim minae iam solutae sunt. Neque minus inepte leno minatur, ut iam Langenus[1]) docuit, se cras Phoenicium in pergulam missurum esse, quamquam non ignorat Phoenicium cras a milite abductum iri et ea de causa in pergulam mitti non posse.

Karstenus (l. c. p. 137) putat verba lenonis „cras, Phoenicium, poenicio corio invises pergulam“ Phoenicio, Calidoro, Pseudolo iustum horrorem iniecisse, cum ignorarent mulierem hodie vel cras domo lenonis abductum iri. Quae sententia Karsteni vix probanda esse mihi videtur. Ut enim Calidorus, Phoenicium, Pseudolus ignorent, quibus condicionibus mulier militi vendita sit — quamquam iam supra demonstravimus epistulam aliud argumentum continuisse atque Karstenus suspicatur — tamen intellegere non possum, qua causa adductus leno hoc loco mentiatur. Me quidem iudice omnino non habet, cur adulescenti „iustum horrorem“ iniciat.

Sed omnes discrepantiae uno ictu, ut ita dicam, amoventur, si hanc quoque scaenam eidem exemplari Graeco ac scaenam primam (B) tribuimus. Versus enim 225 sq. optime cum argumento congruunt, quod scaena prima in exemplari Graeco (B) continuit. Neque miles neque adulescens lenoni usque ad id tempus quicquam pependerunt. Rectissime igitur leno Phoenicio

1) P. Langen l. c. p. 199/200: „Was in dieser Scene Ballio der Phönicium vorhält, steht in scharfem Widerspruch mit der Tatsache, dass sie bereits verkauft und 15 Minen bezahlt sind und sie heute noch abgeholt werden soll . . . . er droht ihr mit Strafe für den folgenden Tag, wo sie jedoch voraussichtlich gar nicht mehr in seinem Besitze ist.“

obicit v. 226: *Pacisci modo scis, sed quod pacta's non scis soluere.* Quae si proponimus, optime elucet, qua de causa leno minetur: *Cras, Phoenicium, poenicio corio inuises pergulam.* Leno enim id unum spectat, ut quam celerrime Phoenicium vendere possit. Utrum a milite an ab adulescente argentum accipiat, omnino non curat. Verbis autem supra prolatis Ballio adulescentem commovere vult, ut iam hodie amicam emat, ne illa „cras poenicio corio pergulam invisat."

§ 12. De actus primi scaena tertia. Iam supra demonstravimus expositionem fabulae (v. 269—382), quam haec scaena continet, ex exemplari Graeco A esse desumptam. Nunc quaerendum est, num tota scaena ex illo exemplari fluxerit.

Initium scaenae I 3 artissime cum scaena I 2, quam exemplaris Graeci B esse supra exposuimus, coniunctum est. Primum enim Calidorus timet, ne Ballio id, quod sese facturum esse versibus 228/229 minatus est, perficiat. Deinde dies natalis lenonis, quo ille viris primariis, qui eius domum frequentant, convivium daturus est (cf. v. 165—167, 179—181) et versu 234 et versu 243 commemoratur. Tum leno versu 241 in forum se conferre in animo habet, ut iam versu 169 indicavit.

Sed in hac scaena alia quoque argumenta insunt, quibus demonstratur initium exemplari B tribuendum esse. Versu enim 258 Calidorus Ballioni dicit: *Dabo, quando erit.* Respondet autem leno: *Ducito quando habebis.* Quae verba repugnant versibus 341/342, 372/377, quos ex exemplari A fluxisse supra coniecimus. Versibus 341/342 enim leno Calidoro interroganti:

Non habes uenalem amicam tu meam Phoenicium?

respondet:

Non edepol habeo profecto: nam iam pridem uendidi.

Versibus 372/377 autem leno verbis perlucidis dicit sese tantummodo inde a die crastino adulescenti meretricem dediturum esse, nisi hodie miles quinque minas allaturus fuerit. Contra versus 258 optime ad argumentum exemplaris B quadrat. Neque miles neque adulescens lenoni quicquam pependerunt. Qui primus argentum solvet, amicam ducet. Rectissime igitur Ballio dicit: *Ducito, quando habebis.* Inde a versu 269 usque

ad versum 382 expositio fabulae ex exemplari A desumpta sequitur, de qua iam supra egimus.

Difficilius est diiudicatu, cui exemplari finis huius scaenae tribuendus sit. Versibus enim 385 sq. Calidorus a Pseudolo petit, ut satellitem requirat:

Ad eam rem usust hominem astutum doctum, cautum et callidum,
Qui imperata ecfecta reddat, non qui uigilans dormiat.

Quibus verbis versus 390/92 pugnare videntur:

Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient eqs.;

nam epitheta, quae versus 385 continet, „astutum, doctum, cautum, callidum" minime ad amicum pertinere posse, quicumque vel paucas Plauti comoedias perlegerit, primo obtutu cognoscet. Duo igitur diversi homines his versibus definiuntur: satelles astutus, doctus, cautus, callidus et amicus certus.

In scaena II 4 Calidorus hominem, quem in fine scaenae I 3 arcessere iussus est, adducit et hanc scaenam respiciens dicit (v. 697—699):

Pseudolus mihi ita imperauit, ut aliquem hominem strenuom,
Beneuolentem adducerem ad se. (Ch) *Seruas imperium probe:*
Nam et amicum et beneuolentem ducis.

Quos locos si conferimus, sine ulla dubitatione Charinus (v. 697—699) optime cum illo certo amico (v. 390—392) congruit. Qua de causa Ladewigius [1]) versus 384—386 spurios esse existimat ratus versus 390—392 versum 383 secutos esse, deinde versus 387—389, tum versus 393. Ladewigius, quem Bierma (l. c. p. 112/115) secutus est, sententiam suam his argumentis confirmare conatus est. Versum 384 imitatione versus 586 effictum esse et versus 385/386 ab interpolatore vel histrione quodam e versibus 725/726 esse compositos. Re vera versus 384 versu 586 repetitur, sed ille locus tot interpolationibus [2]) obrutus est, ut ex illo argumento nihil concludi possit. Versus 385/386 autem versibus 725/726 non ita similes sunt, ut ex illis compositos esse dicamus. Aliter Lorenzius [3]) et Lange-

1) Th. Ladewig: Plautinische Studien, Philologus XVII p. 457.
2) Cf. F. Ritschl opuscul. II p. 279 sq., 768 sq.
3) Lorenz: Zum Pseudolus des Plautus, Philologus XXXV p. 170: „Ja das ist eben einer von jenen Widersprüchen, die man bei Plautus,

nus [1]) iudicaverunt versus 384/386 genuinos esse putantes, delentes autem versus 390/392. Illos versus insertos esse ab interpolatore quodam, qui repugnantiam inter versus 384/386 et v. 697—699 exstantem removere in animo habuisset. Versus autem 390/92 interpolatoris esse mihi non videntur hac de causa: poetas novae comoediae Euripidis tragoediam imprimis in vita et moribus describendis saepius imitatos esse inter omnes constat. Si igitur demonstrari potest locos Plautinos cum locis Euripideis congruere, certa quadam verisimilitate contendi potest illos locos e nova comoedia desumptos esse neque interpolatori cuidam deberi [2]). De amicitia saepius in Euripidis tragoediis agitur et discrimen, quod inter veros amicos et falsos intercedat, tractatur. Huc spectant Euripidis Orestis versus 806:

μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος,

versus 1155:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖσσον ἢ φίλος σαφής,

Andromachae versus 376/377:

φίλων γὰρ οὐδὲν ἴδιον οἵτινες φίλοι
ὀρθῶς πεφύκασ',

Supplicum versus 867/868:

φίλος τ' ἀληθὴς ἦν φίλοις παροῦσί τε
καὶ μὴ παροῦσιν· ὧν ἀριθμὸς οὐ πολύς.

Quibus cum versibus Euripideis versus 390/392 bene congruere et ea de causa minime spurii habendi esse, sed ex aliquo exemplari Graeco fluxisse mihi videntur. Nequaquam autem et versus 384/386 et versus 390/392 secum repugnantes eiusdem exemplaris Graeci esse possunt.

---

wie bei andern Dramatikern, bisweilen findet. Jemand, der den kleinen Widerspruch durchaus beseitigen wollte, schob zur Vermittlung die Verse 390—392 ein."

1) P. Langen l. c. p. 203.

2) F. Leo: Plaut. Forschungen, Berlin 1895, p. 101/102: „Es ist bekannt und im Zusammenhang der attischen Kunst mit dem Leben tief begründet, dass die Komödie des Menander und Philemon in der Erfindung und Führung der Handlung, in der Welt- und Lebensanschauung, deren Spiegel sie ist, mehr in der euripideischen Tragödie als in der alten Komödie wurzelt. — Wo Plautus an Euripides erinnert, da haben wir festen Boden unter den Füssen."

Versus 384/386, quibus hominem astutum, doctum arcessere Calidorus iubetur, ex exemplari A desumpti esse non possunt, quod Charinus in scaena II 4 prodiens, quam exemplaris A esse supra exposuimus, cum illa persona non congruit. Itaque inde a versu 383 Plautus ad exemplar B, qua in fabula servo callido, docto ad patrem decipiendum opus erat, videtur rediisse. Addidit autem poeta, ut hoc modo scaenam II 4 praepararet, in qua Charinus, amicus benevolus, in scaenam prodit, versus 390/392 ex exemplari A desumptos.

§ 13. De actus primi scaena quarta. Postquam Calidorus exiit, Pseudolus in scaena quarta secum deliberat, quomodo viginti minas, quae nusquam sint gentium invenire possit. Iam supra (p. 30/31) demonstravi argumento exemplaris A repugnare, quod servus viginti minas sibi comparare in animo habeat; nam secundum argumentum exemplaris A viginti minae adulescenti omnino nihil prodesse possunt. Itaque vel e versibus 404/405

Viginti minas
Quae nusquam nunc sunt gentium, inueniam tamen

et e versibus 412/413:

Ex hoc sepulcro uetere (i. e. Simone) *uiginti minas*
Effodiam ego hodie, quas dem erili filio

concludas hanc scaenam exemplari B tribuendam esse. Quae sententia eo confirmatur, quod Pseudolus hoc loco (v. 412/413) id peragere incipit, quod sese facturum esse in scaena prima ex exemplari B desumpta promiserat:

v. 117 (Ca): *Dabisne argenti mi hodie uiginti minas?*
v. 118 (Ps) *Dabo.*
v. 120 *Si neminem alium potero, tuom tangam patrem.*

Tamen a scaena prima abhorrere videntur versus 406/409:

Atque ego me iam pridem huic daturum dixeram
Et uolui inicere tragulam in nostrum senem:
Verum is nescioquo pacto praesensit prius.

Nam Pseudolus, qui in scaena I 1 consilium Simoni viginti minas eripiendi cepit usque ad hanc scaenam omnino non abiit, ut „tragulam in senem inicere" posset. Illos autem versus

(406—409) non Plauto ipsi, sed interpolatori cuidam tribuendos esse iam dudum viri docti intellexerunt et permultis locis exposuerunt, ut vix opus sit hoc quoque loco argumenta a viris doctis allata repetere [1]).

Totam igitur scaenam Plautus ex exemplari B videtur desumpsisse.

§ 14. De actus primi scaena quinta. Scaena quinta, in qua Simo, Callipho, Pseudolus in scaenam prodeunt, iam scaena quarta praeparata et artissime cum illa coniuncta est. Simo, pater Calidori, certior factus filium argentum quaerere, ut amicam liberet, e Pseudolo, „scelerum capite“, quod illius sententia filium corrumpit, exquirit, num Calidorus amicam liberare velit. Pseudolus confitetur. Deinde senex interrogat, num servus a se argentum auferre in animo habeat. Servus non negat. Maxime autem senex miratur, quod Pseudolus interroganti (v. 504/505):

Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest
Argentum auferri, qui praesertim senserim

respondet (v. 508/509, 511):

Tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem sumam.
Iam dico ut a me caueas.

Simo ratus servum propositum peracturum non esse promittit sese a Pseudolo, si illud „mirum et magnum facinus“ facturus fuerit, poenam repetiturum non esse. Initio igitur huius scaenae (v. 415—521) argumentum fabulae praeparatur, quod sine ulla dubitatione id spectat, ut servus a patre necopinanti argentum ad amicam liberandam auferat. Quod argumentum per totam fabulam neglegitur, quin etiam versibus 522—546 novum

1) H. Sauppe: Quaestiones Plautinae, Ausgew. Schriften, Berl. 1896, p. 227/228 tantum versum 409 spurium eiecit. Versus 406—408 delevit P. Langen l. c. p. 358—359. Versus 406—409 interpolatori tribuunt Th. Ladewig: Plautinische Studien, Philologus XVII p. 456—457; Aug. O. Fr. Lorenz: Zum Pseudolus des Plautus, Philolog. XXXV p. 171/173; Karsten l. c. p. 141; Goetz in ed. mai. uncis illos versus saepsit; Lorenz in ed. eos omisit. Versus 406—408 Plauto ipsi assignat W. Bierma l. c. p. 38, 56, 86/87, cuius sententiam refutat A. Schmitt l. c. p. 20/22.

argumentum introducitur, quod ab antecedenti abhorret atque dissidet.

Pseudolus enim dicit sese, priusquam a sene argentum abstulerit, a lenone tibicinam illam abducturum esse.

Effectum hoc hodie reddam utrumque ad uesperum (v. 530).

Deinde Simo et Pseudolus novam pactionem ineunt versibus sequentibus (v. 531—538):

(Si) *Siquidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris,*
Virtute regi Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis, numquid causaest ilico
Quin te in pistrinum condam? (Ps) *Non unum quidem diem modo,*
Verum hercle in omnis quantumst. sed si effecero,
Dabin mihi argentum quod dem lenoni ilico
Tua uoluntate? (Ca) *Ius bonum orat Pseudolus:*
'Dabo' inque.

Simo promittit sese, si Pseudolus utrumque perfecerit, illas minas soluturum esse, quas Calidorus lenoni pro amica abducta debebit. Atque horum consiliorum primum in eo positum est, ut argentum a Simone auferatur. Pseudolus igitur, si illa duo proposita peregerit, id est, si a sene argentum abstulerit atque a lenone mulierem abduxerit, illis viginti minis omnino non indigebit.

Quomodo haec discrepantia orta sit, optime Leo (l. c. p. 349/351) exposuit. Duo enim argumenta inter se diversa in hac scaena commixta sunt: argumentum I: servus seni aliquo dolo pecuniam eripit, ut amicam adulescentis a lenone redimere possit; argumentum II: si servo continget, ut mulierem a lenone aliquo dolo abducat, senex sese viginti minas pro amica liberata soluturum esse promittit. Argumentum I exemplaris B esse et iam actu primo (cf. v. 120) praeparari ex omnibus, quae supra exposuimus, elucet. Argumentum II autem, quod actum secundum et quartum praeparet, exemplaris A est. Hoc igitur loco (v. 522—546) Plautus argumenta illorum duorum exemplarium inter se diversorum, e quibus Pseudolum contaminavit, commiscere conatus est. Illa duo argumenta idem spectant, ut Simo viginti minas pro meretrice abducta solvat. In argumento I argentum aliquo dolo seni eripiendum est, in

argumento II senex sua sponte minas pendet, si servus mulierem a lenone abduxerit. Cui condicioni ex argumento II desumptae (si servus mulierem a lenone abduxerit) Plautus alteram condicionem ad argumentum I spectantem (si servus seni aliquo dolo viginti minas eripuerit) addidit et hoc modo illa duo exemplaria commiscuit: Simo servo viginti minas dabit, si ille a lenone amicam abduxerit et seni ipsi viginti minas aliquo dolo eripuerit. Neglexit autem Plautus alteram condicionem huius pactionis congruere cum praemio, quod sese daturum esse Simo promittit, si Pseudolus utramque condicionem persoluturus fuerit.

Aliam viam Schmittius ingressus est, qui existimat discrepantias, quas Pseudolus praebet, non eo esse ortas, quod Plautus eam e duabus fabulis Graecis contaminavisset, sed quod poeta Latinus exemplar Graecum decurtavisset. Exemplo Attico exeunte non modo Simonem viginti minas sua sponte solvisse, sed etiam servum maiorem pecuniam a sene abstulisse (cf. l. c. p. 45). Quae sententia iam a principio mihi displicet, quod intellegere non possum, cur servus in illo exemplari Graeco seni argentum eripuerit. Schmittius (l. c. p. 42) haec verba facit: „Quid refert amicam liberari, nisi sumptus fieri potest?“ Sed illa causa a Schmittio allata minime probabilis est, quod poeta id unum spectat, ut omnes difficultates removeat, quibus iuvenis amicam suam amplecti prohibetur. In fine fabulae mulier in potestatem adulescentis redacta est, pretium senex sua sponte solvit. Unde autem iuvenis argentum sibi comparet, ut „sumptus fieri possit“, poeta non curat, ad fabulam non pertinet. Sed verba poetae ipsius demonstrant Pseudolum tantum ea de causa seni pecuniam eripere velle, ut pro illo argento amicam a lenone redimat. Simo enim servo dicit (v. 482 sq.): *Ecquam scis filium tibicinam Meum amare?* — *Liberare quam uelit? Ecquas uiginti minas Paritas ut a me auferas?* (504) *Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest Argentum auferri, qui praesertim senserim.* Pseudolus autem respondet (v. 509): *Abs te equidem sumam*, scilicet ut amicam adulescentis liberare possim. Quae cum ita sint, sententia Schmittii ut minime probabilis reicienda esse mihi videtur.

Quaeramus nunc, e quo exemplari Graeco finis huius scaenae fluxerit. Versibus 547 sq. Pseudolus a Calliphone petit, ut auxilio suo id, quod servus sibi faciendum proposuit adiuvet:

Da in hunc diem operam, Callipho, quaeso mihi

et Callipho consilium suum rus eundi, quod heri cepit, mutat. Ut iam Langenus (l. c. p. 202), Lorenzius (ed. praef. p. 20) Bierma (l. c. p. 39 sq.), Leo (l. c. p. 348) monuerunt, per totam fabulam Calliphonis mentio omnino non fit. Itaque recte Bierma (l. c. p. 87) et Leo (l. c.) hanc personam exemplari B tribuunt rati Plautum eam postea in scaenam ea de causa non produxisse, quod per alios actus exemplar A secutus sit.

Quae cum ita sint, me quidem iudice totus actus ex exemplari Graeco B desumptus est. Poeta autem argumentum epistolae commutavit et pro expositione exemplaris B, quam tertia scaena continuit, expositionem ex exemplari A desumptam transtulit, ut hoc modo actum secundum praepararet. Praeterea Plautus versus 390/92 et 522/546 ad argumenta fabularum inter se diversarum coniungenda videtur inseruisse.

Quoniam actum secundum ex exemplari A fluxisse iam supra exposuimus, accingamus nos nunc ad actum tertium perlustrandum.

§ 15. De actus tertii scaena prima. Actu tertio ineunte miser puerulus in scaenam prodit, qui eodem modo quo meretrices in scaena I 2 lenoni hodie munus dare iussus est. Queritur sese a nullo amari, qui sibi pecuniam det. Quae scaena brevissima cum argumento fabulae, ut iam Sauppius (l. c. p. 230) monuit, tam parum cohaeret, ut, si deesset, non desideraretur. Qua de causa Lorenzius [1]) hanc scaenam ab histrione quodam insertam esse putat.

1) Aug. O. Fr. Lorenz: cf. Philologus XXXV p. 173 et ed. praef. adn. 23: „Es ist nicht abzusehen, was den Plautus bewogen haben sollte, nach der im ersten Canticum gegebenen grossen Schilderung der Zustände im Hause des leno, noch eine ganz unmotivierte Fortsetzung derselben hier zu geben, und zwar eine der widerlichsten Art. Der puer ist sofort nach derselben wieder verschollen . . . . . Zu Gunsten des Dichters selbst möchte man daher gerne glauben, dass nicht bloss 768 R, sondern die ganze Scene unächt wäre, eine spätere Schauspielerinterpolation zum Vergnügen der niedrigsten Klasse des Publikums.“

Scaena prima actus tertii neque cum antecedentibus scaenis neque cum sequentibus discrepat, sed cum actu primo vinclo quodam coniuncta videtur esse. Ut enim in scaena I 2, ita in hac quoque dies natalis lenonis commemoratur. In I 2 versibus 171—229 leno mulieres efficere iubet, ut dona amatorum suorum largiter domum suam comportentur. Quos versus respiciunt, haec verba pueri (v. 776—778):

Interminatus est a minumo ad maxumum
Siquis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.

Quae si deliberamus, haec scaena eidem exemplari Graeco, e quo scaenam I 2 desumptam esse supra demonstravimus, id est exemplari B attribuenda videtur esse. — Intendamus nunc animum ad scaenam sequentem.

§ 16. De actus tertii scaena altera. Actus tertii scaenam alteram, in qua leno et coquus inter se colloquuntur, argumento minime necessariam iam Langenus[1]) intellexit. Ballio hunc coquum conduxit, ut die festo lenonis cenam coqueret. Coquus postea in scaenam non prodit neque cena ullum in argumento obtinet locum. Vix dubitari potest, quin haec scaena in exemplari Graeco, e quo desumpta est, cum fabula artius coniuncta et argumento maioris momenti fuerit. Itaque iam Sauppius[2]) et Ladewigius[3]) hanc scaenam ex alio exemplari Graeco a Plauto contaminante risus captandi causa translatam esse suspicati sunt.

---

1) Langen l. c. p. 204: „Ebenfalls überflüssig, aber dem ganzen Charakter nach doch echt plautinisch ist die lange Unterredung in der zweiten Scene des dritten Aktes zwischen Ballio und dem von ihm gemieteten Koche.“

2) H. Sauppe l. c. p. 230: „Sed, nisi fallor, et similis huius puer [III 1] et coquus in alia fabula, an dicam in pluribus, plebeculae ita placuerant, ut poeta personas spectatoribus gratissimas etiam huic fabulae risus captandi causa praeter necessitatem adderet.“

3) Th. Ladewig l. c. p. 456: „Ist der Pseudolus wirklich kontaminiert, wofür . . . . . auch der Umstand spricht, dass von dem Gastmahle des Ballio, auf das 167—169 hinweisen, und um welches sich die ganze Scene III 2 dreht, in dem späteren Verlaufe des Stückes nicht das Geringste erwähnt wird, so hat Plautus . . . . . eqs.“

Scaena III 2 iam actu primo praeparata est. Leno enim, qui scaena I 2 ineunte in macellum iturus (v. 169) domum reliquit, initio huius scaenae e foro revertitur (v. 790/791, 800). Deinde cum versu 168, in quo leno servos domum intrare et omnia praeparare iubet, „ne mora quae sit, cocus quom veniat“, haec scaena, in qua Ballio coquum secum adducit, optime congruit. Qua de causa hunc quoque dialogum exemplari B assignandum esse existimo. Postquam coquus abiit, leno edicit (892—904) sese a patre Calidori admonitum esse, ne Pseudolo, qui mulierem sibi eripere in animo haberet, confideret. Quos versus ad exemplar A pertinentes Plautus, ut iam Bierma (l. c. p. 103 sq.) suspicatus est, de suo videtur addidisse, ut duo exemplaria Graeca coniungeret et hoc modo actum sequentem, qui ex alio exemplari Graeco atque actus tertius desumptus sit, praepararet. Quae cum ita sint, Plautus totum actum tertium ex exemplari B mutuatus videtur esse praeter finem, quem ad exemplaria coniungenda de suo addidit.

§ 17. De actu quarto. Quamquam actum quartum exemplaris A esse iam supra exposuimus, tamen paucis verbis percurrendum est, quid Bierma de hoc actu iudicaverit. Vir doctus enim contendit duorum exemplarium, quae Plautus contaminaverit, alterum B (quod nos litera A significavimus) id spectare, ut Ballio, alterum S (quod nos litera B significavimus) ut Simo decipiatur. Quae sententia cum ea congruit, quam supra secuti sumus. Maxime autem mirum est, quod Bierma nescio qua causa adductus Simonem in fabula A (B) omnino non in scaenam prodiisse existimat. Quae opinio redarguitur scaena IV 7, qua Simo et Ballio prodeunt; nam illa scaena nulli alio exemplari nisi A (B) attribui potest. Itaque Bierma (l. c. p. 92) hanc excogitat rationem: Plautum in scaena IV 7 aliam personam exemplaris Graeci ita invertisse, ut partes Simonis suscipere posset. Huc spectare amicitiam, quae seni cum lenone intercedat, quoniam Simonem divitem et nobilem in foro auxilium lenonis, hominis infimi ordinis, invocasse (1145/1146) verisimile non sit. Sed primum ex hac scaena non apparet Simoni amicitiam cum Ballione esse; leno sene

paulo familiariter utitur, quia vicini sunt[1]). Deinde incertum est, quid versus 1145/1146 dicere velint, cum Simo verbis Harpacis impediatur, quominus ad verba lenonis respondeat. Tum communis eis est adversarius, ut societate quadam coniungantur[2]). Denique scaenae IV 6, IV 7, IV 8 ita Plauto commutandae atque convertendae fuissent, ut illae scaenae exemplaris Graeci valde a Pseudoli abhorrerent. Itaque Leonem[3]) secutus totum actum quartum exemplaris A esse existimo.

§ 18. De actus quinti scaena prima. Postquam Simo actu quarto exeunte domum intravit, ut argentum, quod Pseudolo debet, promeret, servus in scaena V 1 ebrius et corona ornatus progreditur, ut Simonem promissi commonefaciat. Quaeramus nunc, cui exemplari Graeco haec scaena attribuenda sit. Leo[4]) haeret in eo, quod duae causae, quibus adductus servus convivium reliquerit, proferantur: altera versu 1282:

Inde huc exii, crapulam dum amouerem,

altera versu 1283:

Nunc ab ero ad erum meum maiorem uenio foedus commemoratum.

---

1) F. Leo l. c. p. 348 adn. 1: „Die Bedenken, die Bierma S. 43 ff. gegen die Person Simos in IV 6. 7 äussert, sind leicht zu beseitigen. Simo und Ballio sind Nachbarn, eine gewisse Vertrautheit verlangte die Erfindung. V. 1144 spricht Ballio im Zorn, protzenhaft; die Antwort, die Simo geben könnte, schneidet Harpax ab.“

2) Cf. A. Schmitt l. c. p. 19: „Communis eis est causa, communis adversarius. Ipsum igitur fabulae argumentum fert, ut societate quadam coniuncti sint.“

3) F. Leo l. c. p. 348/349: „Wenn wir mit Bierma zwei Stücke ansetzen, in deren einem der Vater, im andern nur der Kuppler, ohne dass der Alte darin eine Rolle hatte, betrogen wurde, so hat Plautus die Handlungen beider Stücke in der Weise, wie es von der Scene I 5 an geschieht, ineinander verschlungen und überdies in die grosse Scene IV 6. 7 die Person des Simo selbst hineingedichtet, wenigstens, wenn eine ähnliche Person im Original vorhanden war, diese so weit umgestaltet, dass sie mit dem Simo des andern Stückes zusammenfiel. Eine solche Voraussetzung geht nach dem, was uns die sicher ‘contaminierten’ Stücke lehren, zu weit.“

4) F. Leo: Abh. der K. Ges. d. Wissensch. zu Göttingen, phil.-histor. Klasse, Neue Folge, I 7 p. 41 adn. 1.

Cum causa secunda iam versibus 1239—1245 expressa sit et versus 1283/1284 bene versum 1245 sequi possint, Leo hoc canticum (1246—1282) a Plauto ipso additum esse existimat. Sed vir doctus hoc loco illos versus nimis pressisse mihi videtur. Pseudolus convivium reliquit, ut crapulam amoveret. Postquam per versus 1246—1282 se iam paulum refecit, subito ei in mentem venit senem sibi viginti minas debere. Itaque nunc „ad erum maiorem foedus commemoratum“ ire constituit. Haec scaena non a Plauto de suo addita esse, sed optime ad scaenas antecedentes quadrare, quin etiam scaenis antecedentibus praeparata esse mihi videtur his de causis.

Illi enim convivio praeter Pseudolum una cum Phoenicio et Charino Simiam quoque interesse e versu 1051 apparet, quo Pseudolus Phoenicio et Simiae dicit:

Ite hac, triumphe, ad cantharum recta uia.

Iam versibus 946/949 Pseudolus promisit sese Simiam accepturum esse

(947) *Lepido uictu, uino, unguentis et inter pocula pulpamentis.*
(948) *Ibidem una aderit mulier lepida, tibi sauia super sauia quae det.*

Huc spectant verba, quae hoc loco facit Pseudolus, qui in scaenam prodit, postquam *Illos accubantis potantis amantis Cum scortis* reliquit (v. 1270/1271), *Ubi amans complexust amantem, ubi labra ad labella* (cf. savia v. 948) *adiungit* (v. 1259).

Neque vinum (v. 947) defuisse versus 1262/1263 edocent. *Lepidus uictus* autem et *unguenta* (v. 947) eisdem fere verbis commemorantur versibus 1265/67

Unguenta atque odores, lemniscos, corollas
Dari dapsiles: non enim parce promi
Victu cetero nequis me roget.

Quae cum ita sint, scaena V 1 actu quarto paene ad verbum praeparata videtur esse. Quin illa scaena eiusdem exemplaris Graeci atque actus quartus i. e. exemplaris A sit, illa de causa non dubito.

§ 19. De actus quinti scaena altera. Scaenam V 2 eiusdem exemplaris Graeci atque scaenam antecedentem esse vel ex eo concludas, quod Pseudolus ut in V 1 ita hac quoque

in scaena ebrium se praebet. Secundum exemplar A senex sese viginti minas soluturum esse, ubi primum servus propositum perfecerit, promisit. Qua in scaena Pseudolus a sene illas viginti minas petit et Simo ei argentum tradit haec verba faciens (v. 1313):

Ius petis: fateor, tene.

Sed iam inde a versu 1314 poeta minime exemplar A secutus videtur esse. Verba enim Pseudoli (v. 1314):

At negabas daturum esse te mihi: tamen das

tantummodo ad versum 510, quem ex exemplari B desumptum esse supra demonstravimus, attinere possunt, quo Simo dicit:

Eclidito mihi hercle oculum, si dedero;

nam in exemplari A senex sese viginti minas sua sponte daturum esse promisit (cf. v. 536/537).

Deinde Simo a Pseudolo petit, ut sibi aliquam partem argenti reddat (v. 1322). Postquam autem servus se ei dimidiam partem argenti redditurum esse promisit, Simo Pseudolum sequitur confirmans omnem simultatem inter filium et patrem intercedentem sublatam esse. Qui fabulae exitus me quidem iudice neque ad argumentum exemplaris A neque exemplaris B quadrat. Exemplar A enim id spectat, ut senex servo, qui propositum perfecit, viginti minas det, quas ille lenoni pro meretrice abducta debet (cf. v. 536: *Dabin mihi argentum quod dem lenoni ilico tua uoluntate*). Si igitur illae viginti minae lenoni tradendae sunt, servus secundum hoc exemplar sese dimidiam partem seni redditurum esse promittere non potest. Secundum autem exemplar B, ut supra expositum est, servus seni aliquo dolo viginti minas eripit, ut mulierem illo argento redimere possit. Si igitur amica in adulescentis potestate est, servus minas ereptas non iam possidet. Quae cum ita sint, Plautus finem huius scaenae (v. 1314—1355) initio eiusdem ex exemplari A translato de suo videtur adiunxisse.

Haec habeo quae dicam de ratione contaminandi Plautina. Accingamus nunc ad fabulas contaminatas Terenti perscrutandas.

B. De ratione contaminandi Terentiana.

I. De Andria.

§ 20. De actus primi scaena prima. Terenti Andriam in numero fabularum contaminatarum habendam esse versus 9—14 prologi docent:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit:
Ita non dissimili sunt argumento, et tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae conuenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.

Terentius igitur Andriam Menandri pro fundamento fabulae latinae habuit et e Perinthia Menandri in Andriam transtulit „quae convenerunt.“ Quantae autem partes Perinthiae attribuendae sint e Donati adnotatione ad prologi versum 14 discimus: *sed quare ergo se onerat Terentius, cum possit uideri de una transtulisse? sic soluitur: quia conscius sibi est primam scaenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri solus est senex.* Quae verba satis perlucide edocent exemplum primae scaenae non Andriam, sed Perinthiam Menandri fuisse. Verba autem, quae in Perinthia uxor Simonis fecit, Terentius Sosiae liberto attribuit. Quam rationem contaminandi poeta eo facilius sequi potuit, quod illae duae fabulae „ita non dissimili sunt argumento.“ Huc spectant verba Donati ad prologi versum 10 allata: *prima scaena Perinthiae fere isdem uerbis quibus Andria scripta est, cetera dissimilia sunt exceptis duobus locis, altero ad uersus XI, altero ad XX, qui in utraque fabula positi sunt.*

Nunc singulos versus huius scaenae paucis perlustremus. In versibus 1—19 Simo enumerat, quot beneficiis Sosiam affecerit, et fidem taciturnitatemque liberti sibi astringit. Qui versus, cum ad neminem nisi libertum quadrent, neque e Perinthia neque ex Andria fluxisse, sed a Terentio ipso de suo esse additi videntur. Versus 20—41, quibus enarratur, quam rati-

onem vivendi Pamphilus secutus sit, et in Perinthia et in Andria Menandri locum habuisse possunt. Fabulae autem expositio versibus 42—140 tam fuse explicatur, ut a soliloquio abhorrere et e Perinthia esse translata videatur, quamquam Andriam quoque Menandri similem expositionem, sed multo breviorem continuisse negari non potest. Versus 141—144, quibus Simo Sosiae imperat, ut perterrefaciat Davum, observet filium, ad uxorem non aptos Terentio ipsi vindicandos esse verisimile est.

Quae cum ita sint, re vera prima scaena Perinthiae paene eisdem verbis, quibus Andria Menandri, esse scripta videtur neque habemus, cur Ihnio [1]) contendenti illas duas Donati adnotationes, quas supra adduximus, inter se dissentire assentiamur. Terentius igitur, ut supra demonstravimus, primam scaenam Perinthiae non integram in Andriam transtulit, sed et initio et in fine huius scaenae nonnullos versus de suo addidit et hoc modo optime totam scaenam cum reliqua fabula confudit atque conflavit.

Qua causa adductus poeta pro uxore libertum substituerit, pro certo dici non potest. Alii viri docti velut Dziatzko [2]), Regelius [3]), Fabia [4]) suspicantur Terentium matronam Romanam in scaenam producere dubitasse. Aliam causam Kampius [5]), qui Nencinio [6]) videtur „rem acu tetigisse“, adducit haec verba faciens: „Der Grund der Personenänderung von Seiten des Terenz scheint uns darin zu liegen, dass der römische Dichter sogar den Sosia, also das **πρόσωπον προτατικὸν** in Beziehung zur Handlung setzen wollte dadurch, dass Terenz ihn als Aufpasser über Davus und Pamphilus von Simo bestellen lässt (v. 141 sqq.), ein Auftrag, zu dem eine Frau, besonders eine Mutter, wohl nicht so leicht brauchbar erschienen wäre.“

1) W. Ihne: Quaestiones Terentianae, Bonnae 1843, p. 11/12.

2) C. Dziatzko: Die Andria des Menander, Rhein. Mus. 31 (1876) p. 249 adn. 1.

3) G. Regel: Terenz im Verhältnis zu seinen griech. Originalen, Progr. Wetzlar 1884, p. 3.

4) Ph. Fabia: Les prologues de Térence, Paris 1888, p. 181.

5) F. Kampe: Die Lustspiele des Terentius und ihre griech. Originale, Progr. Halberstadt 1884, p. 7.

6) F. Nencini l. c. p. 30.

Quibus absolutis vertamus nunc oculos ad alteram discrepantiam, quae huic fabulae adhaeret.

§ 21. De Charino et Byrria. Donatus ad actus secundi scaenam primam, in qua Charinus et Byrria prodeunt, adnotat haec: *has personas Terentius addidit fabulae, — nam non sunt apud Menandrum, — ne* **παθητικόν** *fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente.* Quibus e verbis Grauertus [1]) conclusit omnes fabulae partes, quae ad Charinum et Byrriam spectent, non ex exemplari Graeco ablatas, sed a Terentio ipso inventas esse. Grauerti partes temporibus recentioribus Spengelius et Nencinius secuti sunt. Sed Ihnius, cui Dziatzko, Braunius, Kampius, Regelius, Fabia assentiuntur, a Grauerti sententia abhorret contendens Charini et Byrriae personas Menandri Perinthiae esse.

Perscrutemur nunc argumenta a viris doctis allata. Atque primum Ihnius [2]) putat Luscium Lanuvinum tantam licentiam, quantam Terentius duabus personis de suo additis sibi indulserit, non tulisse. Terentio autem in prologo tale crimen defendendum fuisse. Quod cum factum non sit, illud quoque negandum esse duas personas a poeta ipso esse inventas. Sed Terentius, ut iam Nencinius (l. c. p. 5) animadvertit, numquam se quicquam de suo dedisse indicavit. Deinde Ihnio [3]) verisimile esse non videtur Terentium in prima quam scripserit fabula huic audaciae indulsisse. Cui sententiae verba Donati ad versum 977 allata repugnant, quibus poetam Latinum re vera huic audaciae indulsisse demonstratur: *quia et audacter et artificiosissime binos amores duorum adulescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est, — et id extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat.* —

Praeterea Ihnius (l. c. p. 14/15) haec affert argumenta. Censet enim Andriae versum 427:

1) W. H. Grauert: Ueber das Contaminieren der Lateinischen Komiker. Histor. u. phil. Analecten, Münster 1833, p. 193 sq.

2) W. Ihne l. c. p. 9 sq. Praeterea conferas C. Dziatzko l. c. p. 250; K. Braun: Quaestiones Terentianae, Gottingae 1877, p. 12; F. Kampe l. c. p. 7 sq.; G. Regel l. c. p. 2; Ph. Fabia l. c. p. 182.

3) W. Ihne l. c. p. 9/10. Ihnio assentitur Ph. Fabia l. c. p. 182.

Omnis sibi malle melius esse quam alteri,

quem Byrria pronuntiat, e Menandro esse petitum, quoniam verisimile sit Menandrum, Euripidis imitatorem (cf. p. 36) talem sententiam e Medeae versu 86:

ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ

transtulisse. Idem valere de versibus 640/641

Ingeram mala multa? atqui aliquis dicat 'nil promoueris':
Multum: molestus certe ei fuero atque animo morem gessero,

quos versui 1297 Hippolyti respondere vir doctus existimat:

καίτοι προκόψω γ' οὐδέν, ἀλγυνῶ δὲ σέ.

Quorum locorum alter, ut Nencinius (l. c. p. 34/35) intellexit, proverbii instar est, cuius similia saepius inveniri possunt, alter nimis tritam praebet sententiam, ut vix necessario ex Euripide repetendus sit. Itaque Dziatzko (l. c. p. 250) et Regelius [1]), qui in ceteris Ihnii partes sequuntur, haec argumenta Ihnii pro incertis habent.

Momenti haud invalidi esse Dziatzkoni (l. c. p. 250) videtur aliud argumentum ab Ihnio (l. c. p. 15) allatum. Fragmentum enim Perinthiae ab Athenaeo (VII 301 b) [2]) servatum:

τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν ἑψητοὺς φέρον

bene respondet Andriae versibus 368/369:

Etiam puerum inde abiens conueni Chremi:
Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni.

Quo fragmento cum scaenam illam II 2 e Perinthia in Andriam esse transpositam Ihnii quidem sententia evincatur, vir doctus Charini quoque partes, quae in eadem scaena sunt, e Perinthia in Andriam translatas esse concludit. Illi autem versus (368/369) non a Charino, sed a Davo recitati partibus Charini et Byrriae demptis tamen in fabula restant. Totam vero hanc scaenam e Perinthia esse transpositam nego; quin etiam ne illos quidem versus e Perinthia fluxisse existimo. Davus enim ex eo, quod puerum „holera et pisciculos minu-

1) G. Regel l. c. p. 5: „Der Gedanke in den betreffenden Stellen ist ein zu allgemeiner und gewöhnlicher, als dass eine derartige Folgerung gerechtfertigt erscheint."

2) Cf. Th. Kock: Comicorum Atticorum fragmenta, Lips. 1888, III p. 113.

tos ferre obolo in cenam seni" animadvertit, Chremetem serio in animo non habere nuptias adornare concludit. Itaque Charino suadet, ut sese uxorem in matrimonium ducturum esse simulet. In hac autem simulatione ipsa nodus totius fabulae positus est. Quae cum ita sint, neque scaena II 2 neque versus 368/369 ab Andria Menandri me quidem iudice abesse potuerunt. Quam ob rem sententia Spengelii [1]), cui Nencinius quoque assentitur, non improbabilis esse mihi videtur, qua docemur hunc locum esse alterutrum eorum, quos et in Andria et in Perinthia fuisse e Donati adnotatione ad versum 10 prologi allata elucet (cf. p. 47).

Illis argumentis ab Ihnio commemoratis Kampius [2]) aliud adiunxit existimans e verbis Terenti ipsius (prol. v. 13/14; cf. p. 47) elucere poetam maiores partes quam primam scaenam e Perinthia transtulisse. Sed, ut iam supra demonstravi, poeta alios versus primae scaenae integros e Perinthia in Andriam transtulisse, alios de suo videtur addidisse. Atque ea de causa Terentius universe dicit „quae convenere."

Quae omnia argumenta repugnant Donati verbis illis, quae adnotat ad versum 301: *has personas Terentius addidit fabulae, — nam non sunt apud Menandrum.* Qua ex re plane apparet partes Charini et Byrriae Terentio ipsi vindicandas esse [3]).

1) Spengel: Die Komposition der Andria des Terentius, Sitzungsber. der phil.-hist. Klasse der Münchener Akademie III (1873) p. 614: „Jenes Fragment VI aus der Perinthia aber hindert nicht, dass derselbe Gedanke auch in der griechischen Andria vorkam und scheint eben diese Scene (II 2) eine von jenen beiden längeren Stellen zu sein, von denen Donatus, wie oben bemerkt, überliefert, dass sie sich sowohl in der Menandrischen Andria als in der Perinthia vorfanden."

2) F. Kampe l. c. p. 8: „Endlich aber scheinen die Worte des Dichters selbst Andr. prol. 13 sqq.: Quae convenere . . . . . auf mehr zu deuten als auf eine blosse Herübernahme der ersten Scene aus der *Περινθία*."

3) Illi sententiae praeter Spengelium et Nencinium temporibus recentissimis assentitur A. Körte: Zur Perinthia des Menander, Hermes 44 (1909) p. 311 adn. II: „Ich halte es für unerlaubt, an Donats bestimmter Angabe über Charinus und Byrria zu zweifeln (zu 301) has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum. Es ist ja auch Terenz nicht gelungen, die beiden fest in das Gefüge der Handlung zu verweben."

Huc accedit, quod verisimile non est Donatum, qui in adnotatione ad versum prologi 14 Perinthiam exemplar primae scaenae esse perlucide indicavit, hoc loco universe dixisse „nam non sunt apud Menandrum", ut Spengelius [1]) recte intellexit. Denique Donatus in adnotatione ad prologi versum 14 allata (cf. p. 47) de contaminatione ipsa agit. Itaque vel ex eo, quod scholiasta illo loco Charini et Byrriae mentionem non facit, illas personas contaminationi non deberi concludas.

II. De Adelphis.

§ 22. Quam rationem Terentius in Adelphorum fabula componenda secutus sit, verba poetae ipsius (prol. v. 6—11) docent:

Synapothnescontes Diphili comoediast;
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula; eum Plautus locum
Reliquit integrum; eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.

Adelphos fabulam Menandri fuisse e verbis et Suetonii [2]) et Donati [3]) elucet. Quam in fabulam Menandream Terentius e Synapothnescontibus Diphili eum locum inseruit, quo adulescens lenoni meretricem eripit. In psaltriae raptu argumentum Adelphorum positum est. Itaque omnes viri docti consentiunt in Menandri Adelphis illum raptum eis, qui spectaverunt, tantummodo narratum esse. Terentius autem, ut fabulam maiore vigore perfunderet, consilium cepit illius rei in scaenam producendae. Cum exemplum quaereret, quod sequeretur, Diphili Synapothnescontes invenit, qua e fabula illam scaenam mutuatus est.

---

1) Spengel l. c. p. 608: „Während er (Donat) bei jener ersten, der Perinthia entnommenen Scene ausdrücklich die Perinthia als Quelle bezeichnet, heisst es hier einfach non sunt apud Menandrum. So hätte er sich nicht ausgedrückt, er hätte die Quelle ebensogut genannt wie an jener Stelle."

2) Suetonius: vita Terenti; cf. Donati commentum ed. P. Wessner I p. 5: „nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri."

3) Cf. Donati adnotationes ad v. 81, 275, 351, 938.

Quanta autem illa pars sit, quam Terentius e Diphili comoedia desumpserit, viri docti inter se dissentiunt. Versus II 1, 1—42 Diphilo attribuendos esse primus Ihnius (l. c. p. 27) suspicatus est, quem Regelius, Klasenius, Fabia, Kampius secuti sunt [1]). Totam scaenam II 1 e Synapothnescontibus derivatam esse Kauer [2]) putat. Scaenas et II 1 et II 2 e Diphili fabula fluxisse Grauertus (l. c. p. 132 sq.) existimat, cui Nencinius (l. c. p. 118 sq.) assentitur.

Ineunte actu secundo Aeschinus una cum Bacchide, quam Sannioni eripuit, in scaenam prodit. Leno autem, qui adulescenti impedimento sit, quominus meretricem domum abducat, a Parmenone verberatur. Postquam Aeschinus sese pro psaltria viginti minas daturum esse promisit, leno solus remanens deliberat, quid sibi nunc faciendum sit (v. 42—54). Ille igitur locus, quo adulescens „lenoni eripit meretricem", quem e Diphili fabula fluxisse poeta ipse pronuntiat, nullos alios versus nisi 1—42 actus secundi scaenae primae continet, ut Nencinius [3]) quoque confitetur. Itaque Ihnium secutus illos versus (II 1, 1—42) e Diphilo esse translatos, cetera omnia e Menandro contendo.

Cui sententiae Kauer (l. c. p. 96/97) repugnat ratus versus 1—42 cum versibus 42—54 huius scaenae artius cohaerere quam ut e diversis exemplaribus Graecis fluxisse possint. Sed me quidem iudice illi versus optime sine versibus antecedentibus (1—42) intellegi possunt. Atque Kauer ipse actu secundo ineunte Menandreo lenonem similiter atque in Terenti fabula in scaenam prodiisse suspicatur. Versus 42—54 autem re vera

---

1) Cf. G. Regel l. c. p. 6 sq.; I. Klasen: „Quam rationem Terentius in contaminatis, quae dicuntur, fabulis componendis secutus esse videatur. Pars I, quae Adelphos complectitur, Progr. Rheine 1884; Ph. Fabia l. c. p. 186/188; F. Kampe: Ueber die Adelphen des Terenz. Progr. Burg 1902.

2) R. Kauer: Zu den Adelphoe des Terenz, Wiener Studien 23 (1901) p. 87 sq.

3) F. Nencini l. c. p. 118: „Si prologi tantum verba respicias, illam tantummodo partem e Diphilo translatam esse iudices, qua Aeschinus Sannioni meretricem eripit, versibus 1—41 act. II inclusam."

Menandri esse ex his quoque efficitur argumentis. Sententia enim Menandrea[1]):

οἴμοι· τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ

respondet versui Terentiano II 1, 42/43:

Pro supreme Iuppiter,
Minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria.

Quamquam Nencinius[2]) et Kauer[3]) illa verba ad v. 43 referenda non esse existimant, tamen consensus illorum locorum maior esse mihi videtur, quam ut silentio eam praeteream. Huc accedit, quod Donatus ad versum 199 adnotat: *secundum illud Menandri αιγοστο ποιων* eqs. Quamquam fragmentum ipsum corruptissimum est, tamen verba *secundum illud Menandri*, ut iam Ihnius demonstravit (l. c. p. 27) hunc versum e Menandro derivatum esse indicant. Aliter hac de adnotatione Kauer (l. c. p. 94/96) iudicavit contendens e forma *secundum illud Menandri* ipsa, quae nullo alio loco inveniatur, apparere non Menandri, sed Diphili fabulam exemplar huius partis Adelphorum fuisse, cum absurdum sit aliquem locum, quo verba Terentiana cum Menandreis conveniant, afferre. Qua de causa totam scaenam II 1 e Diphili fabula fluxisse, Terentium autem tantummodo hunc versum e Menandro inseruisse. Quae sententia Kaueri probabilis esse mihi non videtur. Primum enim formae *secundum illud Menandri* formam simillimam *secundum Apollodorum* in Donati adnotatione ad versum 482 Phormionis facta invenimus. Deinde Donatum saepius verba Graeca ad versum interpretandum proferre inter omnes constat. Utrum autem verba *sic Menander* (Andr. 204) an *sic enim et Menander* (Andr. 483) an *Menander enim sic ait* (Andr. 592) an *Menander sic* (Andr. 611) an *secundum illud Menandri* verbis Graecis praeponantur, me quidem iudice perinde est.

---

1) Menandri gnom. monost. 696. Cf. A. Meineke: Fragmenta comicorum Graecorum IV, Berol. 1841, p. 360.

2) F. Nencini l. c. p. 119: „Quoad Menandream sententiam *οἴμοι κτλ.* unus quisque facile intellegit nihil causae esse cur ad v. 43 referatur."

3) R. Kauer l. c. p. 95 adn. I: „Der Bezug zwischen Men. gnom. monost. 696 Mein. und v. 197, den Ihne ebenfalls als Grund für den Menandrischen Ursprung des Monologs anführt, ist wohl so gering, dass er nicht weiter zu berücksichtigen ist."

Quae cum ita sint, partem e Diphili Synapothnescontibus in Menandri Adelphos a Terentio insertam tantummodo versus II 1, 1—42 continere existimo primum, quod nulli alii versus nisi illi eum locum continent, quo secundum verba poetae ipsius „adulescens lenoni eripit meretricem", deinde quod e fragmento sub Menandri nomine tradito et ex adnotatione Donati ad versum 45 allata elucet versus sequentes e Menandri fabula fluxisse.

§ 23. Quibus absolutis quaeramus nunc, quomodo Menandri fabula composita fuerit. Grauertus enim (l. c. p. 132 sq.) Ctesiphontem, postquam Demea de raptu psaltriae in scaena I 2 narravit, actu secundo ineunte eodem modo quo in Terenti Adelphorum scaena II 3 prodiisse existimat. Ihnius (l. c. p. 32), quem Fabia (l. c. p. 187) sequitur, Demeam de raptu psaltriae paulo longius quam in scaena I 2 Terentiana narrasse, actum secundum autem Menandreum inde a Sannionis soliloquio (II 1, 42 sq.) initium cepisse contendit. Klasenio (l. c. p. 9) poeta Graecus initium actus secundi ita videtur composuisse, „ut lenonem induceret argentum pro erepta meretrice efflagitantem, qui uberius de Aeschini facinore spectatores edoceret."

Sententiae autem illorum virorum doctorum ea de causa improbabiles sunt, quod ponunt Aeschinum, quem in actu primo domum nondum rediisse Demea dicit, actu secundo ineunte domi esse. Neque vero adulescens inter actum primum exeuntem et actum secundum ineuntem domum se conferre potuit, ut rectissime animadvertit Fielitzius[1]).

---

1) W. Fielitz: Ueber Anfang und Ende der Menandrischen Adelphen, Fleckeis. Jahrb. 97 (1868) p. 675: „Aeschinus war also im Hause (act. II). Da er nun aber während des ganzen ersten Aktes ausserhalb war, so würde nur die Annahme übrig bleiben, dass er während des Zwischenaktes von seinem nächtlichen Abenteuer zurückgekehrt sei. Diese Annahme, die in der Tat in diesem Falle von Ihne gemacht zu sein scheint, wie sie in andern Fällen von andern gemacht ist, beruht jedoch auf einer durch nichts begründeten Uebertragung unserer modernen Anschauung vom Zwischenakt auf das antike Drama."

Aliam rationem Kauer[1]) excogitavit: Aeschinum apud Menandrum clam per angiportum Micionis domum revertisse. Si autem re vera Menander rem ita instituisset, poetae fuisset spectantes, priusquam Sannio in scaenam prodiret, de reditu certiores facere. Quod minime fieri potuit, quoniam ante Sannionem tantummodo Micio et Demea in scaenam prodeunt, qui ipsi Aeschinum domum nondum rediisse persuasum habent.

Aliam viam Regelius[2]) et Kampius[3]) ingressi sunt rati brevem scaenam, in qua Aeschinus una cum psaltria erepta in scaenam prodierit, soliloquium lenonis antecessisse. Qui viri docti aliam discrepantiam non removerunt, quod fingunt apud Menandrum in actu secundo demum ea in scaenam produci, de quibus spectantes iam in actu primo certiores facti sunt.

Quas duas difficultates Nencinius et Fielitzius sustulerunt, quorum Nencinius (l. c. p. 134) nisus Suetonii verbis (l. c.): *nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri* fabulam Menandri tali modo compositam esse existimat. Scaena I: Syrus narrat raptum puellae. Scaena II: Syrus a Micione exeunte interrogatus negat filium domum iam rediisse. Scaena III: Micio solus ea verba facit, quae apud Terentium inde a versu tertio scripta invenimus.

Fielitzius (l. c. p. 677) versus 1—12 scaenae I 1, quibus Micio anxium se praebet, quod filius nondum redierit, Menandro abiudicat putans apud Menandrum senem narrasse filium una cum psaltria domum ingressum esse. In ceteris Terentium Menandrum secutum esse praeter versum 154. Actu enim primo Graecae fabulae exeunte senem abiisse sive ut diligenter

1) R. Kauer l. c. p. 101/102: „Auf das Klopfen des leno kamen wohl Aeschinus und Syrus, die sich nach dem glücklich ausgeführten Streiche heimlich durch das posticum in Micios Haus begeben und dort verborgen gehalten, . . . an die Türe . . .“

2) G. Regel l. c. p. 6: „Wir werden demnach da, wo bei Terenz die Einlage Platz gefunden hat, bei Menander eine kurze Scene annehmen müssen, in der Aeschinus mit dem geraubten Mädchen und seinen Dienern auftrat.“

3) F. Kampe l. c. p. 7: „Nachdem Aeschinus ohne weitere Aeusserung mit der psaltria kurz vorher schnell über die Bühne und ins Haus geeilt war, trat unmittelbar Sannio auf.“

exquireret, quo modo psaltria lenoni erepta esset, sive ut fratrem abeuntem placaret. Quae sententia Fielitzii iam propter simplicitatem Nencinii sententiae praeferenda esse mihi videtur. Terentius igitur, ut partem e Diphili fabula desumptam cum Menandri Adelphis commisceret et discrepantias contaminatione ortas removeret, initium fabulae Menandreae tam bene commutavit, ut Varro Adelphorum principium praetulerit principio Menandri.

Praeter Andriam et Adelphos Eunuchus quoque in numero fabularum contaminatarum habenda est.

III. De Eunucho.

§ 24. Terentio in Eunucho exemplum fuisse Menandri Eunuchum prologi versibus 19/20 cognoscitur:

quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum.

Versibus 30/33 autem poeta se e Colace Menandri personas militis et parasiti in Eunuchum suam transtulisse concedit:

Colax Menandrist: in east parasitus colax
Et miles gloriosus: eas se hic non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca.

Quo modo Terentius illas duas fabulas contaminaverit, viri docti valde inter se dissentiunt. Ac primum quidem quaerendum est, num iam in Menandri Eunucho eiusmodi personae fuerint et, si ponimus eas fuisse, num in illa fabula in scaenam prodierint.

Braunius (l. c. p. 24) dubitat, Menandrine in Eunucho alter amator fuerit. Rivali omnino opus non esse, sed discordiam inter Phaedriam et Thaidem ea de causa esse ortam, quod meretrix eum reiecisset aut adulescens Thaidem deserere constituisset. Braunii vestigia Nencinius (l. c. p. 89) secutus est censens puellam in Menandri Eunucho non a milite, sed iam pridem ab alio amatore meretrici donatam aut iam inde a parvula apud Thaidem commoratam esse.

Quae sententia improbabilis esse mihi videtur, quod in virginis deductione argumentum totius fabulae positum est [1]. Chaerea enim virginem, quae ad Thaidem deducitur, aspicit, summo amore captus eunuchi vestem induit, virginem vitiat, in matrimonium ducit. Deinde omnia quoque, quae Thais de Pamphila Phaedriae narrat, Terentio adscribenda essent, quod sine dubio Thais, si Pamphila iam pridem ab alio amatore ei donata esset, prius Phaedriae haec narravisset, ut recte Oudegeestus [2] intellexit. Praeterea, si ponimus Pamphilam in Graeca fabula iam a parvula apud meretricem fuisse aut iam pridem ab aliquo alio amatore meretrici donatam esse, non intellegimus, quare Thais, quamquam iam dudum non ignorat puellam civem Atticam esse, nunc demum operam det, ut illius cognatos inveniat.

Quae cum ita sint, me quidem iudice dubitari non potest, quin in Graeca quoque fabula virgo ad meretricem deducta sit. Quis Thaidi illud donum misit? Cum Phaedria iam eunuchum et servam Aethiopicam ad Thaidem deduci iusserit, virgo Thaidi ab alio donata est, id est a rivali Phaedriae. Rivali igitur in Menandri quoque Eunucho opus est. Utrum autem ille rivalis adulescens an miles fuerit, neque fragmentis neque fabula ipsa pro certo confirmari potest. Sed verisimile est, quod infelices amatores in omnibus fere comoediis milites sunt, in Menandri Eunucho quoque rivalem militem fuisse.

Quibus absolutis ad alteram quaestionem transeamus et disseramus, num ille rivalis in Menandri Eunucho in scaenam prodierit. Ihnius (l. c. p. 18) et militis et parasiti personas quamquam non tanta arte depictas in Menandri Eunucho in scaenam prodiisse existimat. Ihnium secuti sunt Regelius (l. c. p. 9/10) et Kampius (l. c. p. 9). Ad hanc sententiam confirmandam illi viri docti nullum argumentum attulerunt. Si re vera militis persona iam in Graeca fabula prodiit, intellegere

1) Cf. Ph. Fabia l. c. p. 184: „Cette démarche . . . . . est indispensable pour la suite de l'action; elle motive la scène 3, où Chaeréa se présente désolé d'avoir perdu la trace de Pamphila qu'il suivait, où Parménon lui apprend, qu'elle vient d'entrer chez Thaïs, où se décide, enfin, la substitution de Chaeréa à l'eunuque.“

2) W. I. Oudegeest: De Eunuchi Terentianae exemplis Graecis disputatio, Amsterdam 1906, p. 26.

non possum, qua de causa Terentius eam e Colace in Eunuchum suam transtulerit.

Thraso tota in fabula secundas partes agit. In primo et secundo actu militis mentio tantummodo fit, prodit autem miles demum in actu tertio. Itaque sententia Fabiae et Oudegeesti non improbabilis esse mihi videtur, qui existiment militis ut in primo et secundo actu Eunuchi Menandreae ita in sequentibus quoque tantum mentionem factam esse, militem autem ipsum in scaenam non prodiisse. Terentius, ut fabulam maiore vigore perfunderet, consilium cepit eiusmodi personae producendae. Cum exemplum quaereret, quod sequeretur, invenit Colacem, e qua militis personam mutuatus est.

In Colace autem, ut infra demonstrabo, cum illa persona artissime parasitus coniunctus est. Quin in Menandri Eunucho persona opus sit, quae Pamphilam ad Thaidem ducat, nemo dubitabit; incertum autem est, utrum illa persona parasitus an militis servus fuerit. Conferamus, quaeso, Donati adnotationem ad versum 228 *hic quidem est parasitus Gnatho: haec apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est* (prol. 25) *'parasiti personam et militis', sed de Colace translata sunt.* Quae verba cum demonstrent parasitum in Menandri Eunucho defuisse, mea quidem sententia verisimile est Terentium pro militis servo, qui Pamphilam in Graeca fabula ad Thaidem duceret, et hoc loco et aliis parasitum substituisse.

§ 25. De fragmentis Colacis. Quomodo Terentius in singulis scaenis illas duas fabulas contaminaverit, multo facilius esset diiudicatu, si illae duae Menandri fabulae nobis servatae essent. Menandri autem comoediae, quae **Εὐνοῦχος** inscribitur, nihil nisi ea pauca fragmenta nobis tradita sunt, quae Theodorus Kock (l. c. III) collegit. Sed Menandri Eunuchi argumentum e Terenti fabula omnibus satis notum neque verisimile est poetam Romanum Menandri Eunuchi argumentum in fabula sua valde commutasse, praesertim cum ipse in prologo dicat (v. 19/20):

Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum.

Colacis autem reliquias, quae apud Theodorum Kock (l. c. III p. 82 sq.) exstant, nuperrime fragmento in papyris Aegyptiis reperto (quod ediderunt Grenfell-Hunt[1]) et Sudhausius[2])) auctas esse omnibus viris doctis summo gaudio fuit. Tres columnae nobis traditae sunt. Initio primae columnae adulescentem quendam, puellae amatorem, verba facere Leo[3]) recte exposuit. Nomen illius, ***Φειδίας***, versu 19 comperimus. Quamquam dimidia pars totius columnae deleta est, tamen ex adulescentis verbis traditis concludere possumus patrem eius negotiorum expediendorum causa itineri se commisisse. Filius autem aegre fert, quod pater argentum dispensatoribus quibusdam administrandum tradidit certe ea de causa, ne adulescens ineptias vel stultitias faceret. In versibus 10 sqq. adulescens de illo convivio celeberrimo loquitur, quod commemorat Athenaeus XIV 659 d (cf. Kock l. c. III p. 82/3): *Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν τοῖς τετραδισταῖς διακονούμενον μάγειρον ἐν τῇ τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ποιεῖ ταυτὶ λέγοντα·*

σπονδή· δίδου σὺ σπλάγχν' ἀκολουθῶν· ποῖ βλέπεις;
σπονδή· φέρ' ὦ παῖ Σωσία· σπονδή· καλῶς.

Quibus e verbis intellegitur illud convivium in Colace ante oculos eorum, qui spectaverunt, factum esse. In versibus autem 26—33 adulescens de superbia Biae nonnulla verba facit. Cum militis persona maxime nobis curae sit, liceat mihi Menandri ipsius verba afferre. Dicit enim adulescens:

μᾶλλον βοηθεῖν τοῖς] πονηροῖς τοὺς θεούς·
ὡς εὐσεβοῦντες γ' οὐδὲ]ν ἀγαθὸν πράττομεν.
πῶς γὰρ ὁ διμοιρίτης ὅ] φέρων αὐτός ποτε
στρώματα, σίγυνον, θύλακ]ον, πήραν, κράνος,
θώρακα, σαύνι]ον, διβολίαν, κῴδιον,
ἃ νῦν ἅπανθ' ὁ δυστ]υχὴς ὄνος φέρει,
πῶς ἐξ . . . ἂν ἐγένετ' ἐξ]αίφνης Βίας,
εἰ μὴ τάδ' αὐτῷ διέ]νεμον;

1) The Oxyrhynchus Papyri part 3 edited with translations and notes by B. P. Grenfell and A. S. Hunt, London 1903, p. 17 sqq.

2) S. Sudhaus: Menandri reliquiae nuper repertae, Bonn 1909, p. 62/65. Hac editione in locis afferendis usus sum.

3) F. Leo: Menanders Colax, Nachrichten von der Königl. Ges. d. Wissensch. zu Göttingen, phil.-histor. Klasse 1903, p. 681 sq.

Sequitur nunc columna secunda. E voce „*τρόφιμε*“ versus 55, quae personae inter se colloquantur, intellegitur. Iam Leo (l. c. p. 678) exposuit appellari adulescentem a servo quodam maiore natu. In versu 47 „*Θάσια*“ commemorantur. Recte Alfredus Kretschmar[1]) demonstravit illa „*Θάσια*“ cados significare vino Thasio completos. Adulescens igitur, ut ad magnum illud convivium, quod supra commemoravi, aliquid conferret, cum servo in foro vinum coemit atque initio fabulae rediit. Verisimile est eum in foro quoque militem vidisse, de quo in columna prima verba fecit. Biam autem comitabatur Struthias, ille parasitus, qui divitias, splendorem, luxuriam ostentat. Columna secunda ab adulescentis verbis incipit, quae ad parasitum referenda sunt (v. 42—44):

„οὐθ[εὶς ἐπλούτησ]εν ταχέως δίκαιος ὤν·
ὁ μὲ[ν γὰρ αὑτῷ συλλ]έγει καὶ φείδεται,
ὁ δὲ τ[ὸν πάλαι τηροῦ]ντ' ἐνεδρεύσας πάντ' [ἔχει.

Quanto autem odio parasiti Phidias ardeat, ex eo cognoscimus, quod dicit, sese, nisi suspicio ebrietatis orta esset, parasitum istis verbis contumeliosis in foro prosecuturum fuisse (v. 49—53):

ἄνθρωπ[ε, π]έ[ρυσι]ν πτωχὸς ἦσθα καὶ νεκρός,
νυν[ὶ] δὲ πλου[τεῖς]· λέγε τίν' εἰργάζου τέχνην.
τοῦτό γ' ἀπόκρ[ιν]αι· πόθεν ἔχεις ταῦτα;
οὐκ ἄπει;
ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐλ]ῶ σε· τί διδάσκεις κακά;
τί λυσιτελεῖ⟨ν⟩ ἡμῖν ἀποφαίνεις τἀδικεῖν;

Verba servi, quae sequuntur, ad argumentum fabulae adeo non pertinent, ut silentio ea praeteream.

In sequenti columna lenonem cum hospite, qui ei modo suaserit, ut meretricem a duobus adulescentibus amatam alteri vendat, sermonem habere Leo (l. c. p. 674/78) e versibus 89 sq. conclusit. Quin illi rivales, de quibus leno et hospes verba faciunt, Phidias et Bias sint, vix dubitari potest. Sed ad versus ipsos nos vertamus. Kretschmar (l. c. p. 73) verba lenonis in

1) A. Kretschmar: De Menandri reliquiis nuper repertis, Lips. 1906, p. 70.

linguam Latinam ita convertit (v. 84 sq.): „profecto, hic vel tu, si fides tibi habebitur nec quidquam eorum, quae contra eum facis, facere visus eris, habes illum securum, — — — si voles, omnia abs te gerentur.“ Hospes igitur lenoni suasit, ut meretricem alteri amatori venderet. Sed cuinam? Hospitem militis vim ac violentiam metuere apparet e versibus antecedentibus, quos Leo (l. c. p. 678) sic explevit:

ὅτ[ι π]ρὸς βίαν με[θῆκας· εἰ δὲ τὸν ξένον
βλάψ] εις τ[ι] χωρήσεις [τ' ἐναντίον λόγοις,
μ[ε]ταπέμψεθ' [ἑ]τέρους [συ]στρατ[ιώτας δώδεκα,
οὓ[ς π]αραφυλάξει· παῖδες, ἐκτριβο[ίμεθ' ἄν.

Itaque hospes lenoni videtur suasisse, ut meretricem militi venderet, adulescenti autem diceret se vi militis coactum esse id facere.

Leno hospitis verbis primum assentitur: *ὠνεῖθ' ὁ γείτων* (v. 91) „ut emerit vicinus“, id est miles. Statim autem leno intellegit sese, si adulescentem falleret et meretricem militi venderet, commodum sibi comparaturum non esse, quod adulescens quoque, si fraudem perspiceret, ut ulcisceretur, vim ei inferret:

ἀλλ' ἐὰν αἴσθηθ', ὅμ[ως
πρόσεισιν ἑξήκ[ο]νθ' ἑταίρους προσλαβ[ών,
ὅσ]ου[ς] Ὀδυσσεὺς ἦλθεν εἰς Τροίαν ἔχω[ν,
βο]ῶν, ἀπειλῶν· „ἄν σε μή, μαστιγία·
αὐτὴν π]έπρακας πλέον ἔχοντι χρυσίο[ν.

Lenoni autem ita deliberanti subito in mentem venit sese, si meretricem adulescenti vendiderit, lucrum cotidianum, quod a milite accipiat, amissurum esse; nam (v. 97—99)

ἡ μία λαμβάνει
ὅσον οὐχ]ὶ δέκα, τρεῖς μνᾶς ἑκάστης ἡμέρας
παρὰ τοῦ] ξένου.

Sed denique unus oboritur scrupulus lenoni, quo fortasse commoveatur, ut adulescenti meretricem vendat. Timet enim (v. 99 sq.), ne lite implicetur, si diutius tantum argentum a milite accipiat:

δέδοικα δ' οὕτως λαμβάνειν·
ἐκ τῆς ὁ]δοῦ γὰρ ἁρπάσονθ', ὅταν τύχηι,
κἀγὼ] δικάσομαι, πράγμαθ' ἕξω, μάρτυρας . . .

Quibus e verbis intellegitur puellam in potestatem lenonis, qui illam adulescenti vendere in animo habet, non iusto iure venisse. Ex aliarum fabularum argumentis concludere possumus puellam civem esse et adulescentem illam in extrema fabula in matrimonium ducturum.

Iam supra demonstravi (p. 60) convivium ante oculos eorum qui spectaverunt, hac in fabula comparatum esse. Verisimile est imprimis hoc loco parasitum omnes artes blandiendi et adulandi ostendisse et ea verba fecisse, quae Athenaeus X 434, b c memoriae tradidit (cf. Kock l. c. III p. 83):

ΒΙΑΣ. κοτύλας χωροῦν δέκα
ἐν Καππαδοκίᾳ κόνδυ χρυσοῦν, Στρουθία,
τρὶς ἐξέπιον μεστόν γ'. ΣΤ. Ἀλεξάνδρου πλέον
τοῦ βασιλέως πέπωκας. Β. οὐκ ἔλαττον, οὔ,
μὰ τὴν Ἀθηνᾶν. ΣΤ. μέγα γε.

Haec habeo de illo fragmento, quae dicam. Colacis igitur fabulae argumentum hoc fuit. Pater, ut itinera faceret, domo discessit et filium suum curae servi commendavit. Argentum non filio, sed dispensatoribus administrandum tradidit. Ille adulescens, cui nomen Phidias est, amat puellam quandam, quae in lenonis potestate est. Eandem puellam amat Bias, miles gloriosus, qui illam argento obruit et a lenone redimere in animo habet. Leno deliberat, cuinam amatorum puellam vendat. Adulescens fabula exeunte mulierem in matrimonium ducit.

Quibus praemissis nos accingamus nunc ad singulas scaenas perscrutandas, quae e Colace videntur fluxisse.

§ 26. Parasitus primus prodit in scaena II 2, in qua Pamphilam, donum militis, ad Thaidem ducit. Virginem in Menandri quoque Eunucho ad meretricem deductam esse supra (p. 58) demonstravimus. In illa fabula non parasitus, sed servus militis illas partes egit. Itaque suspiceris totam scaenam e Graeca fabula fluxisse. Versus autem 1—35, cum Gnathonis verba neque ad argumentum complicandum neque solvendum necessaria contineant, e Colace a poeta translatos esse omnes viri docti

consentiunt. Qui versus perditissimos mores illorum hominum illustrant atque amplificant. In Colace illa scaena iam praeparata erat Phidiae verbis supra tractatis (p. 61) quibus studia vitiaque parasitorum maledictis insectatur. Itaque multo vehementius animos eorum, qui Colacem spectaverunt, illa scaena commotos esse puto, postquam verbis adulescentis praemissis parasitus omnia acumina atque astutias narravit.

Dubium esse potest, utrum Parmenonis verba, quae orationi Gnathonis versibus 23 et 34 interiecta sunt, e Colace translata an Terentio ipsi addicenda sint. E Donati autem adnotationibus ad versum 23: *mire Terentius longae orationi interloquia quaedam adhibet, ut fastidium prolixitatis euitet, uelut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem haec loquitur* et ad versum 34: *Rursus Parmeno et facetias dicit et distinguit longiloquium parasiti* mea quidem sententia elucere videtur illos versus Terentio ipsi adscribendos esse. Versus 36—60, cum ad Pamphilae deductionem spectent, e Graeca Eunucho fluxisse et ibi colloquium servi militis et Parmenonis complexos esse pro certo habeo. Terentius autem ea verba, quae servus militis fecit, in sua fabula Gnathoni attribuit.

Postquam Parmeno Chaeream eunuchi veste indutum ad Thaidem ducere constituit, ambo domum intrant. Interim Thraso et Gnatho, qui secum colloquuntur, in scaenam (III 1) prodeunt, ut Thaidem ad convivium abducant. Priorem partem huius scaenae ad ipsum fabulae nexum nullo modo pertinentem e Colace in Eunuchum translatam esse omnibus viris doctis probatur. Versus autem 1—4, in quibus miles et parasitus de dono ad meretricem misso colloquuntur, ad Eunuchum spectantes Terenti ipsius videntur esse.

In versibus 44 sq. Gnatho Thrasoni suadet, ut, si in illo convivio Thais Phaedriae mentionem faciat, Pamphilam cantatum arcessat. His verbis indicatur, quomodo illud iurgium inter Thaidem et Thrasonem ortum sit, de quo nos postea Dorias certiores facit (IV 1). Qui versus cum Eunuchi argumentum respiciant, e Colace desumpti esse non possunt. Neque e Graeca Eunucho videntur fluxisse, cum in Menandri fabula militis tantum mentio facta sit, miles autem ipse omnino non prodierit. Itaque

versus 44—63 a Terentio ipso, ut hoc modo illa duo exemplaria Graeca commisceret, additos esse existimo. Quae sententia confirmatur Donati adnotatione ad versum 50: *hic magna οἰκονομία est, qua Terentius praeparat quemadmodum iurgium inter Thaidem militemque et Gnathonem per duas partes serpat fabulae.*

Difficilius est diiudicatu de scaena III 2, in qua praeter Thrasonem et Gnathonem Thais, Parmeno, Pythias prodeunt. Initio huius scaenae Thais militi gratias agit pro Pamphila donata. Qui versus (1—5) eadem de causa qua versus III 1, 1—4 (cf. p. 64) Terentio addicendi sunt. Versuum sequentium (6—40) exemplum fuisse illam scaenam Eunuchi, qua Parmeno Thaidi Chaeream veste eunuchi indutum et servam Aethiopicam, dona Phaedriae, tradit, pro certo habendum est. Sermoni autem eorum intererat militis servus iussus meretricem ad convivium adducere. Quam libere Terentius exemplaribus Graecis usus sit et quo modo militis personam cum argumento Eunuchi commiscuerit, ex hac scaena optime cognoscere possumus. Ea verba, quae in Graeca Eunucho servus militis fecit, partim militi, partim parasito tribuit. Praeterea autem poeta Latinus multa de suo addidit velut Parmenonis verba in versu 29 sq.:

Neque pugnas narrat neque cicatrices suas
Ostentat

ad militem et in versu 36 sq. ad parasitum spectantia

Tace tu, quem ego esse infra infumos omnis puto
Homines: nam qui adsentari huic animum induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.

Versus 41—47 quoque, in quibus Thraso Gnathonem praeire iubet, poetae Latini esse existimo. Meminit autem Terentius alicuius scaenae Colacis, e qua haec verba transtulit (v. 44/45):

(Thr) *Quid rides?* (Gn) *Istuc quod dixti modo,*
Et illud de Rhodio dictum quom in mentem uenit.

Illa verba enim cum eo fragmento congruunt, quod apud Th. Kockium (l. c. III p. 84 Plut. mor. 57 a) invenimus:

γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος.

Terentius autem pro Cyprio Rhodium substituit. Versus 47—53, quibus adventus Chremetis, Pamphilae fratris, praeparatur, ex Graeca Eunuchi fabula fluxisse luce clarius est.

In proxima scaena Chremes prodit, quem Thais iterum ad se arcessiverat, ut illum certiorem faceret se ei sororem restituere posse. Rixa in illo convivio inter Thaidem et Thrasonem exorta Chremes in scaena IV 5 revertitur, Thais in scaena IV 6. Miles autem, ut Pamphilam reposcat, meretricis domum in scaena IV 7 oppugnat. Quam scaenam, quae militis stultitiam vanitatemque illustret, e Colace desumptam esse omnes viri docti consentiunt. Verisimile est militem in Colace lenonis domum oppugnavisse, ut puellam adulescenti, cui leno illam vendiderat, eriperet. Terentius totam scaenam in Eunuchum transtulit et mea quidem sententia ea verba, quae leno in Colace fecit, Thaidi, quae adulescens fecit, Chremeti attribuit. Verba enim Thrasonis, ut unum exemplum afferam (v. 4) *Male mulcabo ipsam,* quae ad Thaidem spectant, in Colace multo melius ad lenonem quadravisse mihi videntur. Huc accedit, quod Thais nullo alio loco huius fabulae tam impudenter et audacter se gerit quam in hac scaena. Chremes quoque, qui in scaena IV 6 timidum et stupidum se praebuit, in scaena IV 7 strenuus et animosus est. Quae differentiae in eo positae esse mihi videntur, quod Terentius hac in scaena Thaidi partem lenonis, Chremeti partem adulescentis attribuit. Quin tamen multa, quae ad Eunuchum ipsam referenda sunt, a Terentio addita sint, nemo dubitabit.

Valde viri docti inter se dissentiunt de fabulae exitu. Nencinius (l. c. p. 99) his in scaenis Terentium ab exemplari Graeco aberravisse putat, ut parasiti et militis personas, quae haud mediocres in fabula partes obtinuissent, usque ad finem persequeretur. Ihnius (l. c. p. 20) ultimae scaenae priorem partem (usque ad v. 23) ex Eunucho, e Colace posteriorem derivatam esse contendit. Sed in Menandri Colace puellam civem esse et ab adulescente in matrimonium duci supra exposuimus. Itaque minime fieri potuit, ut miles idem, quod a Phaedria apud Terentium petivit, „ut haereat in parte aliqua apud Thaidem“, id est apud meretricem, a virginis marito in Menandri Colace postularet. Verisimile est Terentium, ne illas personas, quas novas introduxit, neglectas relinqueret, Thrasonem et Gnathonem iterum in scaenam produxisse. Apud

Menandrum autem hunc fuisse Eunuchi exitum puto: Chaerea domo egressus Parmenoni imperat, ut fratrem de sua et Phaedriae felicitate certiorem faciat; verba (v. 1048 sq.)

o Iuppiter,
Serva obsecro haec bona nobis!

pulcher exitus, illa fabula dignus, fuisse mihi videntur.

Quoniam satis de singulis fabulis Plautinis et Terentianis diximus, restat, ut paucis comprehendamus, quae invenimus, et exponamus, quam diversam rationem Plautus et Terentius in fabulis contaminandis secuti sint.

C. Quae ratio intercesserit inter contaminationem Plautinam et Terentianam.

§ 27. In hac quaestione primum quidem statuendum est eas partes (B), quas Plautus exemplari Graeco A inseruit, unum vel duos actus continere. Ex exemplari B desumpti sunt in Milite glorioso actus II (et init. act. III), in Poenulo actus I, III, in Pseudolo actus I, III.

Contra Terentius non singulos actus, sed tantum singulas scaenas vel partes singularum scaenarum exemplari Graeco addidit. In Andria I 1, 20—140 e Perinthia Menandri, in Adelphis II 1, 1—42 e Synapothnescontibus Diphili, in Eunucho II 2, 1—35, III 1, 5—44, IV 7 e Colace Menandri fluxerunt.

Uterque poeta ea de causa duo exemplaria Graeca contaminavit, ut fabulam maiore vigore perfunderet. Quam ad rem efficiendam Plautus exemplari A argumentum alterius fabulae B ab A alienissimum ita adiecit, ut argumentum exemplaris B initium, exemplaris A finem fabulae contineret. Exemplari B ad finem quendam perducto et subito interrupto exemplar A cum antecedenti minime cohaerens succedit. In Milite glorioso actus II exemplaris B est, cuius argumentum id spectat, ut pariete perfosso et miles et servus illudantur atque militi mulier eripiatur. Postquam servo fugato omnia, ut miles simili modo atque servus deciperetur, praeparata sunt, novum exemplar succedit, in quo servus ebrius aufugit et miles muliere quadam fingente se uxorem vicini esse ludificatur. In Poenulo actus I,

III ex exemplari B fluxerunt, in quo leno quidam calumnia et malitiosa iuris interpretatione perit. Adulescens enim ad lenonem servum suum cum viginti minis mittit petentem, ut sibi locus liber praebeatur. Deinde adulescens lenonem interrogat, num servus suus ad eum venerit. Cum leno se adulescentis servum recepisse neget, nihil obstat, quominus praetor totam familiam lenonis, quia „auri et hominis fur sit“, iuveni addicat. Sed hoc loco illud argumentum relinquitur et initio actus IV novum argumentum incipit in anagnorisi positum. Simili modo Plautus in Pseudolo argumentum fabulae B (act. I, III), in quo servus patri necopinanti viginti minas eripit, ut amicam adulescentis redimere possit, subito abicit et novum argumentum sequitur, in quo servus lenoni aliquo dolo mulierem eripit et in potestatem adulescentis redigit. Qua ratione contaminandi quamquam fabulam maiore vigore et varietate perfundi negari non potest, tamen concinnitas fabulae diruta atque deleta est.

Aliam rationem Terentius secutus est, qui exemplari Graeco A non argumentum novum B ab A alienissimum addidit, sed tantum exemplar A nonnullis scaenis ad A pertinentibus exornavit. In Andria enim pro soliloquio Simonis dialogum inter Simonem et Sosiam habitum substituit. In Adelphis raptum psaltriae, qui apud Menandrum tantum narratus est, in scaenam produxit. In Eunucho militem, cuius in Menandri Eunucho tantum mentio facta est, in scaenam induxit et pro servo militis parasitum substituit. Qua ratione contaminandi minime fieri potuit, ut Terentius concinnitatem fabulae dirueret. Terentius a ratione fabulas componendi Plautina discessit, quod intellexit atque cognovit, quanta arte fabulae Graecae exstructae essent. Certe apud Terentium etiam multum valuit auctoritas Luscii Lanuvini et eorum, qui fabulas Graecas integras in Latinum convertendas esse iudicaverunt et „in eo disputaverunt, contaminari non decere fabulas“ (cf. Andr. prol. v. 15/16).

§ 28. Praeterea Plautus multo minorem diligentiam quam Terentius ad exemplaria Graeca coniungenda adhibuit. In Milite glorioso et in Poenulo poeta Latinus illa duo exemplaria Graeca commiscere et conflare minime conatus est, sed nihil fecit nisi quod parti ex altero exemplari desumptae nonnullos versus ad alterum exemplar pertinentes addidit. Huc spectant Militis gloriosi versus 805/812 (p. 15/16), 867/869 (p. 16/18), 1089/1093 (p. 8/9). Praeterea poeta non modo matrem, ut in Alazone, sed et matrem et sororem geminam, quae mulierem abducerent, advenientes fecit. In Poenulo quoque Plautus quasi ad compages, quae contaminatione ortae sunt, obtegendas nonnullos versus alterum exemplar respicientes parti ex altero exemplari desumptae inseruit velut 615/618 (p. 25), 817/822, 908/909, 919, 1318/1341 (p. 25/26). Eadem de causa Pseudolo versus 390/392 (p. 35/37) adiecit. Hac in fabula, quae posterioris aetatis est, Plautus argumenta exemplarium Graecorum inter se diversa conflare et commiscere conatus est. Primum enim epistulam scaenae I 1 permutavit et in scaena I 3 pro expositione exemplaris B expositionem exemplaris A substituit. Neglexit autem poeta hoc modo expositionem Pseudoli bis enarrari. Deinde Plautus versibus 522—546 scaenae I 5 illa duo argumenta commiscuit. Quantae autem turbae hac coniunctione ortae sint, supra (p. 38 sq.) exposuimus. Denique in fine fabulae versus 1314—1355 neque ad A neque ad B quadrantes adiecit (p. 46). Plautus igitur tantum Pseudoli exemplaria Graeca conflare conatus est, propositum autem ei male successit.

Itaque fit, ut fabulae contaminatae Plautinae tot discrepantiis obrutae sint. In Milite glorioso Palaestrio, quamquam Sceledrus, ut se aliquot dies occultaret, militis domum actu secundo exeunte reliquit, Sceledrum ebrium in cella vinaria militis dormire in III 2 nuntiat. Neglexit poeta in Poenulo sorores, quae in B prodeunt meretrices esse huius quaestus peritas, in A hunc ipsum diem constitutum esse, ut inter meretrices reciperentur. In Pseudoli actibus I, III e B desumptis servus viginti minas sibi comparare in animo habet, quamquam secundum actus II, IV, V, qui exemplaris A sunt, tantum quinque minis indiget. Huc accedunt nonnullae aliae discrepantiae, e quibus omnibus illas fabulas Plautinas contaminatas esse supra conclusimus.

Contra Terentius in Andria non modo ea verba, quae in prima scaena Perinthiae uxor senis fecit, Sosiae liberto attribuit, sed etiam versibus I 1, 1—19 (cf. p. 47) et I 1, 141—144 (p. 48) de suo additis effecit, ut haec scaena ad argumentum Andriae Menandri spectaret. In Adelphis poeta, ut discrepantias contaminatione ortas removeret, initium fabulae Menandreae permutavit (p. 57). In Eunucho Terentius, ut partes e Colace desumptas (II 1, 1—35, III 1, 5—44, IV 7) cum argumento illius fabulae commisceret, non modo scaenae III 1 versus 1—4, 44—63 adiecit (p. 64 sq.), sed etiam scaenam III 2 permutavit et finem fabulae de suo addidit. Quo modo fit, ut fabulae Terenti contaminatae tamquam ex uno fonte fluxisse videantur.

Quae cum ita sint, iure ac merito Horatius Plauti neglegentiam in fabulis componendis castigat versibus epist. II 1, 170/174:

adspice, Plautus
quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
quam non adstricto percurrat pulpita socco,

sed laudibus effert Terenti artem versu epist. II 1, 59:

Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte (scil. *dicitur*).

VITA.

Natus sum Guilelmus Walther a. d. VIII. Kal. Ian. anni 1887 Walternienburgii, in vico Saxoniae provinciae, Guilelmo patre, matre Elisabeth e gente Westermann orta, quos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a patre imbutus anno 1896 factus sum discipulus gymnasii Servestani, quod frequentavi per novem annos. Maturitatis testimonio instructus vere anni 1905 Ienam me contuli studiis philologicis et germanicis operam navaturus. Tria semestria ibi commoratus Berolinum adii; deinde vere anni 1907 Argentoratum petivi. Autumno eiusdem anni Ienam redii ad studia mea absolvenda, cuius universitatis civis usque ad hoc tempus sum. Docuerunt me viri clarissimi Argentoratenses: Baeumker, Keil, Klotz, Martin, Thraemer; Berolinenses: Geiger, Lasson, Schmidt, Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorf; Ienenses: Delbrueck, Diehl, Dinger, Eucken, Gelzer †, Goetz, Graef, Hirzel, Leitzmann, Liebmann, Michels, Schloesser, Thuemmel. Seminariis exercitationibusque philologicis interfui viris doctissimis Gelzer †, Goetz, Hirzel praesidentibus.

Quibus viris humanissimis omnibus gratias ago quam candidissimas, praecipue autem Georgio Goetz, qui studiis meis benignissime favit.